* MENDICANTIUM MORES.

A Mendicantibus plerumque impudentia comes est, & clamor inconditus, quomodo mendicus cœcus in Evangelio clamasse describitur post Christum transeuntem: in Actis Apostolorum, Claudus ille interpellabat intrantes in templum, unde à Græcis ὀπαίται, ἀπὸ τῆ ἀιτεῖν, à petendo dicti mendici.

Sunt, qui mendicos à mentiendo derivent, sunt enim plerunque mendaciis dediti.

Sed, & ἀχῶ mendicus nuncupatur apud alios forsan, quòd sit illorum proprium etiam citrà necessitatem suspirare, & gemere. Errabundi plerumque sunt, nec est alia æquè vaga vita ac illorum, Hinc & πανδήμους mendicus describitur apud *Eustath.*

Uti animo, ita & corpore plerunque male affecti sunt, mendici. Ita Lazarus in Evangelio describitur ulcerosus, quòd quidem caret reprehensione, si casu, aut infirmitate tales sint. Nam reperias propè infinitos, qui crus, aut manum alligant, ut vitium aliud, puta membrorum contorsionem, defectum, aut aliam infirmitatem, lepram scilicet, insaniam, epilepsiam, vel B quid simile, tanta dexteritate, & audacia simulant, ut verè etiam peritiores fallant. Cujus rei plura exempla in medium produci possent, quoties imposituræ illæ detectæ, & pœnis civilibus vindicatæ fuerint.

HABITUS.

Mendicorum vestimenta, & habitus olim in Ulysse ab Homero describitur, eratque imprimis pera turpis, quæ humeris adhærebat loro, in quam cibos recondere solebant, quòd etiam hodiè faciunt. Hinc adagium, πτωχῶν ὤμοι δὲ κρεμαὶ, id est, mendicorum loculi sunt semper vacui. Immò Judæi cophinum gestare soliti, quo stipem, & cetera erogata exciperent. Hinc *Martial. lib* 5.

Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero.

Laceræ quoque, ac miseræ mendicorum vestes, quibus foras prodeunt, etiamsi meliores domi recludant. Sic nuper Antuerpiæ per eleemosynarum curatores deprehensi, qui cùm vix corpus, & quæ natura in eo tecta esse voluit, foras prodeuntes velare posse existimarentur, domi in vestitu, aliisque cupediis luxuriarent, ita ingeniosa in hoc genere paupertas est, & mendicitas.

C Etiam ῥόπαλος, sive σκῆπτρος, id est, baculus, quem ad iter manu tenent, mendicis pro sceptro est, est baculus paupertatis symbolum. Hinc Jacob fatetur se in baculo, hoc est absque comitatu, cultu paupere, Jordanem transivisse. Similem mendici descriptionem reperire est apud Martialem *Lib.* 4. *Epigram.*

Hunc, quem sæpè vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.
Cum baculo, peraque senem, cui cana, putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.
Cerea quem nudum tegit uxor abolla grabati.
Cuique datis latrat obvia turba cibis.
Esse putat Cynicum, deceptus imagine falsa,
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo: Canis.

LOCA VARIA.

Locus mendicantium non unus est, quippe ubicunque prædam sperant, eò convolant, ædes opulentorum, conviviorum triclinia, compita, nundinarum, aut encæniorum loca mendicis abundant affatim: qui licèt membro mutili, lumine privati, corpore fracto, & debili, cò nihilominus, ceu corvi ad cadave-D ra, convolant, interdiu noctuque gradiuntur, omne iter obsident, nullusque est angulus, quem mendicorum solertia non investiget, usitatum quoque iisdem, ut pietatem suæ ignaviæ prætegant, peregrinari ad loca sancta, & ab iisdem mendicitatis liberioris instrumenta, reliquias aliquas secmata collo appendentia, ut galero, penulæque assixa deferre. Vix enim reperias inter inertes illos, vagosque petitores, qui non limina Apostolorum, aut S. Jacobi Compostellani, Ædemve Lauretanam visitasse se asserat, viarumque à prædonibus infestarum calamitatem cautiori fortunæ suæ invidisse causetur: sic ut necessitate dumtaxat manum extendere ad stipem impellatur.

Cæterùm loca, quæ in urbibus obsident, sunt opulentiorum vestibula. Sic Lucas Lazarum ad epulonis vestibulum constituit. Et Homerus idem de suo Ulysse fatetur. *Od. ρ.* Immò & canes, aliaque animalia solitos à limine arcere, colligitur ex verbis Ulyssis ad Irum, *Ibidem.*

Ἐντεῦθεν νῦν ἔτι κύνας τε σῦς τε ἀπερύκων.
Hinc nunc sede, canes, suesque arcens. E

Solebant autem hinc surgere, manibusque porrectis à convivantibus stipem colligere, & ea accepta ad locum reverti, atque id Eumæus apud Homerum Telemachi jussu mandat Ulyssi, ut faciat.

In pontibus etiam, & publicis viis, ubi frequens accessus, & recessus, frequentem stationem habent medicantes.

At templorum valvas assiduè obsident, ut introeuntes ad misericordiam, & eleemosynam erogandam, quæ orationem in templo faciendam juvet, provocent, testis est *Lucas Actor.*3. Mendicum, qui erat claudus ex utero matris suæ, quotidiè positum à bajulis ante portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

Libet his subiicere Problema, rei præsenti conveniens.

Satiusne censeri debeat, mendicantes templi portis, uti & ingressu excludere, nè ibi mendicent: An saltem ad portam permittere, ut stipem corrogent? F

Conveniebant olim apud Romanos ad stipem extra portam Trigeminam, hodie S. Pauli, ut est apud *Plautum in Captivis*, & *Plin. lib.*14.

Indicat modò majorem religionem, si ante templum erogentur eleemosynæ. Habetque affirmativa pars patronum præcipuè S. Chrysostomum, ubiq; in sermonibus, præsertim, *Hom.*28. *ad pop.* pauperum partes studiosissimè defendentem. Is docet, hos propterea ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus sedere, ut ex hujusmodi spectaculo discamus timore deposito, & contrito corde ad orandum ingredi, & misericordia affici erga illos, misericordiam quæsituri à Deo, illosque honore afficere, quos Deus suæ regiæ vestibuli custodes esse voluit, simul significans, non delectari se divitiis.

Persimilis est Nazianzeni sententia, qui præterea addit, quòd ejusmodi hominum clamor petentium, internis templi cantibus ex adverso respondet, atque è regione mysticarum vocum miserabilis luctus excitatur.

Eodem spectare potest, quod ait *Aug. serm.*5. *de verb. Dom.* Ut cum à nobis mendici petunt, ipsi nos Dei agnoscamus esse mendicos. Exigunt mendici ad portam templi tanquam Dei G publicani vectigal, non quòd pendere cogaris in tanta quantitate, sed quòd amore Dei sponte largiaris, quod te modum orandi, ut exponas Deo vulnera animæ, ut ex intimo cordis affectu, & importunè.

At enimuero nonnullis minimè placet mendicantium per plateas itatio, aut ad portas Ecclesiarum commoratio, mallentque certo loco cunctos detinerì, & piorum ibi eleemosynis ali, tum ad prohibendas hujusce hominum fæcis fraudes, ac fordes, tum ne importunis, ac inconditis clamoribus orantes, divinasque res celebrantes interturbent.

Sanè quidem Concilii Turonici secundi decretum gravissimum extat, ut unaquæque civitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundùm vires, ut tam vicini presbyteri, quàm cives omnes suum pauperem pascant: quo fiat, ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur.

Deinde Pius V. Pontificatus anno primo severè cavit, ne pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Prædicationum, aliorumque divinorum officiorum ire permittantur, sed ad valvas Ecclesiarum stare jubeantur.

Idem decrevit Concilium Provinciale primum Mediolanense sub Carolo Borromæo: & ibidem summopere hortatur H Concilium Principes, & magistratus, reliquosque omnes Christifideles, ut mendicos verè ægrotos unum in locum conducendos, ibique eleemosynis sustentandos studiosissimè curent.

Romæ Sixtus V. pia, ac munifica id opera procuravit, & extstant quorundam Principum super hac re, & Rerum publicarum leges, quas recitat *Petrus Gregorius Tolosanus*: & ut de Paganis denuò fiat mentio, constat Aristophanis testimonio, ægrotis in æde Æsculapii assignatum locum, & *Suetonius* narrat in insula Tyberina, ubi templum erat eidem dicatum Deo, morbidos delatos, & expositos, ut curarentur. Ibi nunc, non sine divino consilio visitur domus infirmorum, cui præest religiosa familia, quàm Patrum memoria Joannes De dios religiosissimus vir instituit.

Qui

Qui malunt per publicas vias mendicos itare, vel certè, qui A negant id non impediendum, ut non debeant sanè, si non suppetat iis aliundè, confirmat illa parabola, in qua Christus inducit præcipientem cœnæ magnæ instructorem. Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc: præsertim verò alia sive parabola, sive historia de Lazaro jacente ad januam divitis. *Luc.*16.

APOPHTHEGMATA.

DIOGENES, quibusdam Diogeni probro vertentibus, quòd peteret, cùm id Plato non faceret: Immò, inquit, petit & ille, sed,

Admoto capite, ut ne quisquam exaudiat alter.

Abusus est Homerico carmine, quod est *Odyss. α.* quo significavit, Platonem non minus esse petacem, nisi quòd ille clam peteret, ipse palàm: *Laert. lib.*6.

Idem, posteàquam inopia compulsus cœpisset mendicare, his verbis solebat aggredi: Si cui alteri dedisti, da & mihi: sin nemini, à me incipe: Significabat se non inferiorem cæteris B mendicis: itaque, ut qui daret quibuslibet, daret & Diogeni: qui verò tam parcus esset, ut nemini quicquam daret, huic tempus esse, ut aliquando dare inciperet. *Idem ibid.*

Idem à prodigo petebat minam, ille admiratus improbam postulationem, interrogabat; Cur ab aliis obolum petere soleret, à se autem minam? Quoniam, inquit, ab aliis iterùm accepturum spero, à te autem fortassis nunquam: *Idem ibid.*

ARISTOTELES objurgatus à quodam, quòd dedisset eleemosynam homini malo: Non mores, inquit, sed hominis miseriam respexi, *Laert. lib.*4. *cap.*1. Idem ab alio eadem de re castigatus Non homini dedi, inquit, quicquam, sed humanæ sorti. *Idem ibidem.*

STRATONICUS, cuidam laudanti ipsum, ut aliquid acciperet: Ego, inquit, major mendicus sum. Sentiens, non esse muficorum dare laudanti, sed accipere à laudatis. *Athen.*

Lacædæmonius quidam videns quendam diis corrogantem: nihil, inquit, moror Deos, qui me sint pauperiores. Hinc liquet, vetus esse sub obtentu religionis exercere mendicitatem, cùm plerunque tales collectæ non impendantur divis, quinullius rei sunt egeni, sed improborum luxui, ac libidini. *Plutarch. in Lacon.*

C Mendicus quidam petiit aliquid à Lacone, ait ille: Si quid inquit, dedero, magis es futurus mendicus; verùm istius probrosæ vitæ tuæ fuit author, qui tibi primus dedit, teque fecit inertem. Apud Lacedæmonios probro dabatur mendicitas, quòd & otium odissent, & minimo esset contenti. Benignitas autem in mendicos speciem habet magnæ virtutis: sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosum ignaviam. *Idem.*

ANTIGONUS Thrasillo Cynico petenti drachmam, non est, inquit, munus regium. Cynico subiicente; Talentum igitur da: At non est, inquit, Cynicum tale munus accipere, Utroque cornu repulit postulatoris improbitatem, quem existimabat nullo dignum beneficio. *Plut. in reg. & Imp. Apoph.*

☞ *Vide, Paupertas.*

* Mensa.

DEFINITIO, ETYMOLOGIA, SIGNIFICATIONES, ET NOMINA VARIA. D

MEnsa Hebræis שלחן sculchan, quasi missio dicitur, vel emissio, quòd panes in ea Deo immitterentur. Eratque tabula longior, unde mensam usurpamus pro tabula, in qua cibaria, vel quævis alia imponuntur. Tropicè autem pro conviciu, convivio, cibariis ipsis: sic vocare ad mensam, parare mensam, arcere à mensa dicitur, & Christus *Luc.*22. mensæ nomine æternam beatitudinem insinuat. *Act.*6. ministrare mensis ponitur pro largitione, vel erogatione eleemosynarum, & apud Malachiam, & Ezechiel, mensa pro altari ponitur.

Latini mensam dicunt, ait Villalpandus, quasi missam, quòd scilicet in eam fercula mitterentur, unde primam dicebant, & secundam mensam, sive mensam carnis, & bellariorum, Græcè τραγήματα, aut πέμματα: Immò singula fercula missus dicuntur.

VARRO tamen mensam dictam vult quasi μέσω, idest, mediam, quòd inter convivas media poneretur. Et quidem, vel unica major erat, in quàm vicissim fercula inferebantur, & auferebantur ab ea: vel plures, quæ eum ferculis missis, obsoniisque per ministros auferebantur. Hinc *Plautus*. E

Cedo soleas mihi, properate, atque auferte mensam.

Et Virgilius:

Postquàm exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Alexis verò apud *Athen. lib.*9.

Ὡς εἶδε τῶν τράπεζαν ἀνθρώπους δι'
φέροντας ἔσω ποικίλων παροχιδῶν
Κόσμον βρυόντων. *hoc est.*
Ut vidit mensam, homines duos
Ferentes intus variorum obsoniorum
Apparatum abundantem.

Notat autem Servius *in lib.*1. *Æneid.* mensas olim pro discis apponi solitas.

Græci autem mensam τράπεζαν, quasi τετράπεζαν, quia pedibus quator subsistat, appellant, teste *Eustath. Od. α.* & λ. Nisi, quòd & τρίποδα à tribus pedibus dixerint.

Scribit autem Gesnerus *Lib.*4. *de Quadrup.* fuisse antiquitus præter mensam Repositoria, erantque tabulæ, super quibus fercula reponebantur, & inferebantur, idque super mensam ordinariam, sic ut non mensa, sed repositorium removeri intelligatur, usus autem repositoriorum apud plerasque gentes F adhuc hodie celebratur.

MENSARUM INVENTIO.

Dædalum primum mensam, & Sellam fecisse, Isidorus est auctor.

In Sacris litteris præcipitur in Tabernaculo fieri mensam *Exod.*25. ut exciperet XII. panes Propositionis, sive Deo proponendos. Hinc mensa hæc erat constituta ante S. Sanctorum in Sancto, juxta altare thymiamatis. Nam Sanctum habebat tria, scilicet altare thymiamatis, quod ad sinistram sive latus Septentrionale habebat hanc mensam: ad meridionale, quod dextrum erat, candelabrum: atque huic supra deduximus hebraicam mensæ etymologiam. ☞ *Vide §. sequentem.*

Item mensarum usus erat ad eleemosynas, & cibaria pauperibus dispensanda, quomodo dicitur *Act.*6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, id est intentos esse dispensandis communibus facultatibus, quæ conferebantur in usus pauperum, vocat autem Lucas mensas cibaria, quæ egenis erogabantur.

Apud profanos Scriptores varius usus mensarum reperitur, nempe ad scribendum, rationes dati, & accepti faciendas, mo- G netam permutandam, negotiationem exercendam, aliaque innumera efficiendum, unde mensæ scribarum, œconomorum, artificum, atque opificum. De mensis fœneratorum, & nummulariorum dicemus *in Loco de Usura*, & infrà *de Nummulariis, in Loco de Nummo.*

Potissimus mensarum usus fuit ad instruenda convivia, estque is, ut antiquissimus, ita, & commodissimus, ac homini proprius, alioquin instar bestiarum abjecti in terram, sicut à barbaris nonnullis fieri consuevit, cibum sumeremus.

SOCRATES tamen apud Platonem *Polit. l.*3. fictitiæ illius suæ Reipubl. cives accumbentes, in thoris stratis hederæ, atque myrti foliis cibum capere jubet. Cui cum Glaucon diceret, hoc esse porcorum: respondit ille, Homines non sanæ, sed φλεγμαινόντας hoc diffluentis luxuriæ naturæ κλίνας καὶ τράπεζας, hoc est, mensas, & lectos, aliaque hujusmodi adhibere.

CONVIVALIS MENSARUM USUS SACER.

utpotè MENSÆ SACRÆ ET RELIGIOSÆ.

Convivialis porrò mensarum usus rursus duplex videtur H posse statui, sacer nimirum, & profanus: unde mensæ aliæ sacræ dicuntur, sive sacratæ: aliæ profanæ, sive, ut Macrobii verbo utar, humanæ.

Mensæ sacræ, sive sacratæ sunt, quæ rei divinæ, epulis, atque vasis sacris sunt destinatæ, & plerunque in locis sacris, atque religiosis collocantur. Hæc rursus bifariam dividi possunt, ita ut aliæ dicantur verè sacræ, & religiosæ: aliæ superstitiosæ, quarum illæ veræ religioni, atque cultui divino: hæ superstitionibus, atque idololatriæ serviunt.

Prioris generis fuit Mensa illa Moysaica in tabernaculo collocata, confecta ex lignis Sethim, auro purissimo obducta, longa cubitis duobus, lata uno, alta uno, & dimidia: cui panes illi propositionis, sive Facierum (ab Hebræis Phanim, hoc est faciemum, & Sancta Sanctorum: à Græci ἐνώπιοι, προσώπα; & προθέσεως appellati) imponebantur. Hujus mensæ descriptionem vide *Exod.*25. & 37.

Celebris

Celebris quoque atque magnifica fuit mensa illa Salomonia, cujus fit mentio 1. *Reg.7.* quæ similiter 12. illos panes Propositionis (*de quibus Cæl.lib.9.cap.16.*) sustinebat, ac propterea mensa propositionis fuit appellata. Collocata erat in intima, & sacratissima templi parte, quæ Sancta Sanctorum fuit nuncupata.

Præter hanc Salomon alias quoque decem, partim aureas, partim argenteas fieri curavit in templo, quarum quinque à dextris, quinque à sinistris stabant, ut 1.*Par.*28.& 2.*Par.* scriptum est. In his *Joseph.lib.8.Antiq.ait*, Pelves aureas, & argenteas fuisse positas: sed præ cæteris omnibus excellentem fuisse illam, cui panes Propositionis erant impositi. At Lyranus probabile esse dicit, singulis his mensis etiam panes illos sacros fuisse impositos, ita ut in omnibus mensis fuerint 132. panes.

In novo Testamento mensæ fit mentio 1.*Cor.*10. in qua nimirum cœna Dominica celebrata fuit. Non potestis, inquit Paulus, mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum: quo tamen in loco Mensa etiam Metonymicè usurpatur pro sumptione S. Eucharistiæ.

CHRISTUM in mensa sacrosanctum illud suum convivium primò instituisse, ac cum carissimis suis discipulis celebrasse, Evangelica historia testatur. Hanc mensam auro purissimo coopertam, atque infinitis propemodum gemmis ornatam, ex Toleto occupata, Musem Arabum Ducem secum reportasse testatur *Leo Afric.lib.7.cap.79.*

In primitiva quoque Ecclesia mensarum in celebratione cœnæ Dominicæ usum, cùm alia literarum monumenta, tum illa Nicænæ synodi verba testantur: In divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & populum: sed exaltata mente, fide consideremus, situm esse in sancta illa mensa Agnum Dei, tollentem peccata mundi, qui non victimarum more à sacerdotibus sacrificatur: & pretiosum illius corpus, & sanguinem verè sumentes nos credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola.

MENSÆ SUPERSTITIOSÆ.

Mensæ porrò illæ superstitiosæ, quas verè mensas dæmoniorum secundùm Paulum appellare possumus, fuerunt illæ gentium idololatricarum mensæ, in quibus & mactare, seu immolare, & epulari, & omnis generis vasa reponere consuerunt, quarum creberrima apud auctores fit mentio. A Græcis θυωρὸς, & τραπέζα θυωρὸς, mensa sacris usibus dicata, teste Hesychio, fuit appellata, id est, in qua reponebantur ea, quæ diis offerebantur.

Sic Curiales mensæ dictæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ Curitis est dicta. Et Cicero de Natura Deorum, mensarum argentearum in delubris mentionem facit. Idem, Verrem dicit, mensas Delphicas è marmore, vimque maximam vasorum Corinthiacorum ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulisse. Anclabris (inquit, Festus) est mensa ministeriis divinis apta. Vasa quoque æneа, quibus sacerdotes utuntur; appellarunt Anclabria, nimirum ab anclare antiquo verbo, quòd hautire significat, à Græco ἀντλεῖν deductum. Livius, Flotem anclabant Liberi ex carchesiis.

Affidelæ similiter, teste Festo, fuerunt mensæ, ad quas sedentes Flamines sacra faciebant.

Mensas sacras Romanorum in templis ligneas fuisse, Dion-Halicar. testatur.

Festus, Mensas olim apud Ethnicos in ædibus sacris, ararum vicem obtinuisse, testatur. Idem luculenter testatur *Mac.lib.3.c.11.in illum locum Virg.7.Æneid.*

In mensam lætique bibunt, divosque precantur.

Cùm non in mensam, sed in aram secundùm morem libare debuerint.

USUS PROFANUS.

Mensarum usus profanus, est in epulis profanis, & is quidem Triplex, Nam vel in iis pocula tantùm, aliaque vasa epularia collocantur, vel pecora in iis mactantur, cibique omnis generis dissecantur, vel denique cibi in iis collocantur, & ex iisdem à convivis ad illas accumbentibus, assidentibus, aut etiam astantibus capi solent.

Horum nunc nomina, & exempla quædam subjungam Ἄβαξ, Græcè ἐν ᾧ τὸ πρόγμματα παρὰ τράπεζαν, inquit Ammonius, id est, in quo res deponunt: & Suida teste, propriè ἄβαξ dicitur ὁ μὴ ἔχων βάσιν, inde diminutium ἀβάκιον, Utrumque vocabulum usurpatur, cùm pro tabula quadrâ, quę supponitur crassiusculæ summitati columnæ; tum pro tabula calculatoria, in qua logistæ, seu calculatores numeros deletiles: mathematici lineas, & figuras ducunt: *Persius, nec qui abacos numeres*, (veteres Pythagoricam mensam appellarunt) tum pro tabula lusoria: *Suetonius de Nerone*, quotidie in abaco luderet. *Macrob.lib.*1. Quem diem, inquit, omnes plerique in abaco, & latrunculis conterunt) tum denique pro mensa, in qua omnis generis vasa exponuntur.

Hujusmodi autem mensarum usus, & antiquissimus est, & communis vehementer, ac pervulgatus. *Juvenal.Satyr.*3.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex
Ornamentum Abacus.

Ausonius.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem.
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Apud Lucianum in Lexiphane, mensa populorum δελφικὴ appellatur, ποτήρια δ' ἔκειτο πάντοιε πέρι τῆς δελφικῆς τραπέζης, id est, omnis generis pocula jacebunt in Delphinide mensa. Hanc Porphyrius latinè Delphicam vocavit, ad quàm alludit *Horat. in sermonibus.*

——& *lapis albus*
Pocula cum cyatho duo sustinet, &c.

Juvenalis item:

—— & *recubans sub eodem marmore Chiron.*

Hodie mensæ hujusmodi poculorum, atque vasorum, sive structuræ, valdè sunt usitatæ; & vulgo abaci, sive mensæ credentiæ appellantur.

Mensa coquinaria, ut eam Plinius vocat, Græcè τραπεζοποιὴ, in quibus coqui pecudes mactant, dissecant, atque dividunt, cibos coctos imponunt: à Græcis antiquitus teste *Polluce lib.6.* ἐλεὸς: à recentioribus comœdis ἐπικόπανον fuit appellata, quæ vox posterior etiam apud Menandrum reperitur. Eadem etiam, teste Polluce *lib.*10. ξένιον, & ἐπιξένιος appellatur.

Mensam vinariam rotundam, Varro dicit Cylibathum olim fuisse nominatam, ut etiam nunc in castris declinatum, ut videtur, à Græco κὰτὰ τὸ κύλικος. Altera vinaria mensa, inquit, idem, erat lapidea, quadrata oblonga, una columella, Cartibulum vocata. Hanc dicit, se puero ad compluvium apud multos poni fuisse solitam, & in ea, & cum ea æneа vasa, itaque à gerendo gertibulum, inde Cartibulum posteà fuisse dictum.

Erat præterea, ut idem, inquit, tertium genus mensę, & quadrata vasorum, quòd urnarium fuit dictum, quòd urnas cum aqua positas ibi potissimùm habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balneum locus, ubi poni solebant urnæ, Urnarium vocatur.

MENSARUM FORMA, SIVE FIGURA.

Varro testatur, mensas Escarias antiquitus Clibilas appellatas, primùm apud Romanos quadratas fuisse: posteà factas esse rotundas. Idque ut refert *Athen. lib.*14. ex similitudine figuræ universi, quodque rotundam dicerent perfectissimam.

Mensas Celtarum ligneas, humiles ac rotundas fuisse, idem Athenæus testatur. *Lib.*4. Immò ob in mensas orbes dixere, *ut Juven. Sat.*1.

Nam de tot pulcbris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, unà comedunt patrimonia mensa.

Etiam Homerus meminit mensarum orbiculatarum.

Denique mensæ veterum nunc tribus, nunc quatuor pedibus fulciebantur. Tropides, mensæ erant militares, de quibus *Horat.lib.3.Ode* 8.

Donarunt tripodas, præmia fortium
Grajorum.

Atque *Homerus* memorat *in Odyss.* Alcinoum inter alia Xenia Ulyssi tripodem ingentem dedisse.

Livius monopodiarum mensarum meminit: erantque hæ omnium elegantissimæ, qualia ex Asia debellata C. Manlius Romam in suo triumpho advexit.

Bipedis mensæ Martialis memoriam refricat *Lib.*12. *in Vacerram.*

Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.

tamen Romanis bipedem usitatam non fuisse contendit Bayfius.

Quoad altitudinem, aut demissionem, alii humiles, alii prę altas mensas habuere. De Celtis diximus paulò ante, humiles eis mensas fuisse.

Apud

Apud Indos teste Philostrate, erat altaris instar: atque in regio convivio usque ad genua altitudine prætendebatur, & strueba tur in semicirculum, sic ut triginta homines eam circumsisterent.

Erat & mensæ genus, quod litteræ Σ figuram referebat, lunæ specie. De hac *Martial.lib.*14.

Accipe lunata scriptum testudine signa,
Octo capit, veniat, quis quis amicus erit.

De HELIOGABALO memoratur, quod octo calvos sit solitus vocare ad cœnam, item octo podagricos, octo surdos, octo nigros, octo obesos, octo longos cùm capi non possent uno eodemque figmate, ut ea ratione major risus spectantibus moveretur.

Tradunt nonnulli mensæ superscriptum fuisse Sigma, sive S, ut ea nota monerentut discubitores servare silentium eorum, quæ in mensa prolata fuerant. Alioquin in hac materia ubi figmatis fit mentio, intelligitur mensa ad modum lunæ semicircularis.

Denique erant mensæ, quarum modò est usus, extensæ à capite in extremum attii, cœnaculive recessum, quæ Virgilio mensæ perpetuæ dicuntur.

Nostra certè ætate omnis generis formarum mensas habemus, cùm fixas, tum portatiles, affabrè elaboratas, locis, conviviisque accommodatas.

MATERIA.

Mensarum materia non minus quàm forma, uti olim, ita & hodie multiplex. Conficiuntur namque ex auro, argento, ebore, lapidibus, lignis pretiosis, odoratis, vilibus.

Mensæ sacræ Veter. Testam. erant ex lignis Sethin imputribilibus. *Exodi.*25.

Mensarum argentearum Cicero meminit 3. *de Nat. Deor.* nempè in delubris eas in usu fuisse, ac primus earum auctor existimatur Heliogabalus.

Plutar. refert à quodam Rege Iberorum mensam auream Romam transmissam fuisse.

Mensas Delphicas à marmore Verrem abstulisse Syracusis *Cicero in Verrem* testatur.

Sed Romani alia mensa inferioris fortis homines, alia excellentiores recipiebant. Hæc enim affabre erat facta, pedem habens eburneum, idque in modum pardi, aut leonis. De quibus *Juvenal. Sat.*11.

—— *Putere videntur*
Unguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis biatu, &c.

Fuisse tamen communes Romanorum mensas ex arboribus vernaculis, idem Juvenalis docet. *Ibidem.*

Iliadomi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt.

Attamen ex aere olim mensæ eximiæ sunt habitæ, quæ ob id acernæ dictæ sunt.

Romanis celebres quoque fuerunt, & pretiosæ, ex Cedro: quia arbores illæ loco remotissimo apud Atlantem Mauritaniæ montem quærebantur: eumque luxum Seneca, & Plin. fuerunt detestati.

Porrò apud eundem Plinium describuntur *Lib.*13. *cap.*15. mensæ Tigrinæ, Pantherinæ, Undulatæ, Apiatæ: ita dictæ à coloribus, & varietate macularum, ac circulorum distinctione, quod vel Tigridis vellera, aut aquarum profluvium, aut apum excrementa referrent.

Turcæ mensarum genus habent, quod Thophra dicunt, sitque ex corio, & explicatur, ac contrahitur instar marsupii, rotunditatem habens quinque, vel quatuor palmarum, latitudinis circulos multos, per circuitum insutos, ferreos, quibus cum corrigia inducta sunt, instar bursę clauditur: expanditur, & portatur.

Nostrates certè omni ex ligno, & lapidibus, ac marmore mensas conficiunt: sive solidas, sive lapide fissili incrustatas dumtaxat, ut inquit *Gesner. lib. de Figur. Lapid.* Legatur *Stuckius lib.* 2. *Antiquit. Convivalium cap.* 18.

☞ MENSARII. *Vide in Loco de Nummulariis.*

* Mens.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

MEns Græcè νόος, & per crasim νοῦς, venit à memini secundùm *S. Thom.p.*1.*q.*86.*art.*8. Hebræi mentem nomine cordis, recordationis, & intelligentiæ, seu intellectus frequenter exprimunt. Mentis mirè operationes effecerunt, ut variis appellationibus ea designaretur, quæ in Interpretum scriptis occurrunt, ad quarum disquisitionem lectorum mentes invitamus.

Mens igitur est, quæ in animo eminens, ac in Lunæ modum, quæ à Græcis μὴν appellatur, modo quasi perficitur in sese residens, nunc divina, nunc humana, nunc summa, nunc infima fua lustrans acie, nunc sese inspiciendo cuncta sibi cogitatione proponit, modò etiam hebescit, & quasi obtunditur, hinc dementes: modo prorsus obcæcatur, ac sepelitur; unde insani. *Ovid.* 1. *Fast.* & 2. *de Trist.*

Conscia mens, uti cuique sua est, ita concipit intra
Pectora: quo facto spemque, metumque suo.
Omnia perversa poterunt corrumpere mentes.
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.

* APOPHTHEGMATA.

THALES olim interrogatus, quid in toto rerum natura esset velocissimum? Respondit, mens humana. Discurrit enim per universa hominis cogitatio. *Laert. lib.*1.*cap.*1.

PITTACUS, quærenti, qui in minimo maximum esset? respondit: bona mens in corpore humano. *Stob. serm.*3. *de prudentia humana.*

ANONYMUS, Mens est hominibus magnum animæ frænum: ψυχῆς μέγας χαλινὸς ἀνθρώποις ὁ νοῦς. *Stob. serm. eod.*

Cercidas, mentis, inquit, est videre, mentis audire. Sed quomodo viderent sapientiam, licèt propinquam, viri, quorum mentem lutum replevit? *Stob. serm.* 4.

RHEGINUS dicebat, mentem infirmam veritatis non esse capacem, sicut solare lumen imbecillis, & impotens visus aspicere nequit. *Ibid.*

SOCRATES, Sicut de civitate, quæ bonis legibus administratur, seditiosum hominem expellere oportet, ita inquit, ex homine, quem salvum cupimus, malam mentem. *Stob. serm. de Prudentia.*

PHOCION semper admonere homines solebat, ut mente vigilarent, cujus somnus veræ morti finitimus esset. *Idem ibid.*

ALPHONSUS, cùm pro more lectioni Senecæ (quem præcipuè semper coluit) incumberet; interrogatus à Davalo, purpuratorum humanissimo, cur animus mortalium ita immensus, atque insatiabilis foret; Respondit Rex, animum hominis à Deo profectum, non prius conquiescere, quam eò rediret, unde profectus esset: esse procul dubio animum nostrum Dei, & æternitatis capacem, & propterea neque impleri, neque satiari posse iis rebus, quæ fluxæ, & incertæ essent. *Panl. lib.* 5. *de Alphonsi rebus gestis.*

☞ *Videatur locus de Anima, Intellectu, & Voluntate. Mens restituta sacrificiis, cæde, &c. Require locum de Amentia.*

Mensis.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

MEnsem à verbo metior Grammatici deducunt, quasi sit tempus numero dierum mensum. *Cic. lib.*3. *de nat. Deorum.* Qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. Macrobius à Græco μὴν, hoc est à Luna deducit: circumscribitur enim Lunæ curriculo mensis, qui ob id annus Lunaris appellatur.

NUMERUS.

Menses numerantur XII. Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, Augustus, September, October, November, December. Quæ verò nomina apud veteres Roman. atque alias Gentes obtinuerint, quo etiam ordine dispositi, quo eventu rerum celebrentur: aliaque huc pertinentia, dicemus proximis titulis.

A MENSIS CONSIDERATIO SIMPLEX, ejusque usurpatio varia.

Explicando.

Est autem Mensis alius Physicus, alius Politicus: Physicus dicitur, quo Luna Signiferum percurrens, quadripartitas tempestatum vices, quatuor anni Temporibus respondentes, producit. Et hic rursus, vel Solaris vel Lunaris. Solaris est quo Sol unum quodque Zodiaci signum percurrit, quod fit ferè duodecima parte anni, hoc est, XXX. D. cùm Zodiacus in 12. signa distributus sit, propter totidem congressus Solis, & Lunæ. Tales menses habuere Ægyptii 30. dierum æquales, additis quinque Epactis. Hunc rursus duorum faciunt generum Astronomi, alium, scilicet Medium, sive Æquabilem, quando Sol æquali motu unum Zodiaci signum perficit, secundùm quem motum in singulis signis nulla varietas contingit: alium Verum sive Apparentem, sive Inæqualem spacia habentem inæqualia, propter Solis moram in signis singulis, & motum apparentem dissimilem: unde menses æstivi hybernis longiores sunt, cùm sol tardiùs medietatem Zodiaci borealem, quàm australem emetitur. At Lunaris mensis dicitur, quo Luna unumquodque signum Zodiaci percurrit, non unius generis. Alius quidem Periodicus, sive Conversionis, & Peragrationis, quo Luna signiferum perambulat, sive ad idem punctum Zodiaci redit, à quo cœperat, motu verò vel æquali: Medicinalis item dicitur, quod medicis maximè inserviat: & Impressionis propriæ mensis, Astronomis: sive jam sit Medius, & Æqualis, sive Verus, & Apparens, & inæqualis. Alius Synodicus, quo Luna ad Solem redit, & cum illo veluti congreditur, & conjungitur, & consequitur: unde etiam Consecutionis mensis dictus. Qui ipse & in Medium, & in Verum itidem subdividitur: quem Astronomi communis Impressionis mensem vocant. Alius Illuminationis, sive Apparitionis, à primo conspectu novæ Lunæ in eodem mense, usque ad conspectum alterius: quod spacium 28. D. vulgò comprehendi putant. Alius denique Professionis, seu Conversionis, à Ptolemæo excogitatus, ut Lunaris ratio ad cursum daret. Cæterùm Politicus mensis is est, quem unaquæque gens ad negotia sua, tum sacra, tum profana, accommodatum observat.

C Hebræi veteres, quod ex Bibliis constat, menses numero sui ordinis exprimebant, primum octavum, duodecimum. Post reditum è Babylone demùm, imitatione Chaldæorum, videntur nomina certa singula tributa retinuisse, hæc quidem serie, ut primus ab æquinoctio verno esset Nisan, sive Abib. secundus Zin, qui & Iiar, & Ægiar: tertius Sivan, qui & Thamuz: deinde Rhotem: Ab, vel An: Elul: Thysri, qui & Ethanim: Bul, qui & Marhesuan: Casleu, vel Chisleu: Thebeth: Sebat: & duodecimus Adar, vel Ader. Recentiores verò Judæi Thysri primum, Bul secundùm faciunt, suo deinceps reliquis assignato ordine. Jo: Garcæus. Thysri est primus quantum ad naturam, nempe in æquinoctio autumnali: sed Nisan prior dignitate: nam ab eo omnia Legis festa æqualibus numerantur interstitiis. Unde dies 177. inter hos menses. Is est primus Æquinoctii. Nam in diebus Nehemiæ Judæi menses ad medium Lunæ motum, diesque festos ordinarunt, incipientes à novilunio septimi mensis, quòd autumnali æquinoctio proximum fuit, sicut Judæi etiam hodie numerant. Illi autem primos decem dies pœnitentiæ vocant, quibus dant eleemosynas multas, & alia bona opera faciunt, ut iram Dei D placare queant. Sic cæteri menses ab hoc dignoscuntur. *Masfæus.*

Ægyptii mensibus singulis dies 30. tribuunt, & XII. habent ordine tali: Thoth, Phaothi, Athyr, Chojac, Tybi, Mecheir, Plamenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni, Epephi, Mesori *ex auctor. Epigram. Græc. & Aetio Tetrabili 3. ser. 4 c. 48.* Primum mensem Septembri respondere Theon in Arati Phænomenis putat, item Epiphanius, at *Plin. lib. 27. cap. 12.* Augusto comparat. Nempe cùm menses singuli 30. D. constent; & qui supersunt dies quinque quotannis ad finem ultimi mensis intercalentur, fit, ut primus mensis per omnes menses Julianos temporis progressu vagetur, nec nisi post an. 1460. ad easdem Calen. Augusti revertatur. *Lalamant.*

Persæ eandem anni rationem habent cum Ægyptiis, nominibus tantùm mensium differunt, hoc ordine: Fordimech, Ardeimech, Cardaimec, Zirmech, Mardan, vel Mardari, Sarambemech, Machiramech, Ebenmech, Ydramech, Dimech, Bechmenech, Azfirdavic. *Idem.*

Arabes vaga habent Solstitia, & Æquinoctia, cum Ægyptiis, lunationibus XII. annum absolvunt, mensibus imparibus 30. paribus 29. dies tribuentes. Mensem autem à conjunctione Luminarium ordiuntur. Nomina, & series mensium hæc est. Primus Almucharam, Saphar, Rabe primus, Rabe secundus, Gemedy primus & secundus, Rabe, Sahaben, Ramaden, Sanel, Dulchida, Dulcheja. *Idem.* E

Græci mensem quemlibet in tres decadas distribuunt: quarum prima decadem μηνὸς ἱστάμενον: secundam μηνὸς μεσοῦντος, tertiam μηνὸς φθίνοντος vocabant: quasi dicas, decade mensis instantis, decade mensis medii, & decade mensis desinentis. Deinde primæ decadis primum diem Νουμηνίαν, secundùm δευτέραν ἱστάμενον, tertium τριστὴν ἱστάμενον, & sic deinceps, usque ad δεκατὴν ἱστάμενον. Rursus secundæ decadis primùm diem, πρώτην ἐπὶ δέκα μεσοῦντος: secundum, δευτέραν ἐπὶ δέκα μεσοῦντος, & sic deinceps, usque ad εἰκάδα, seu εἰκοστὴν, id est, vicesimum. Tum tertiæ decadis primum diem πρώτην ἐπὶ εἰκάδι, vel πρώτην μετ' εἰκάδα, id est, primam post vicesimam, secundam, tertiam supra vicesimam, &c. vocabant. Vel etiam primùm diem tertiæ decadis, instituto Solonis, ut ferunt, δεκατὴν φθίνοντος, secundum ἐνάτην φθίνοντος, &c. id est, decimam desinentis, nonam, octavam, septimam desinentis: & usque ad ultimum eodem modo imminuendo numeros. Ultimus autem dies mensis ἕνη καὶ νέα dicitur *Polluci lib. 1. cap. 7. Idem.* F

Sirton, *ut auctor est Constant. Cæsar. lib. 1. de Agricultura, c. 13.* dies illunes appellavit eos, qui sunt à vicesimo nonò ad secundam novam. Id tempus alii Coitum, ut inquit Plinius, alii interlunium, alii silentis Lunæ appellant Conjunctionem alii & Novilunium: Græci Νουμηνίαν & Σύνοδον, ut & primam Lunam μηνοειδῆ, id est, corniculatam, & falcatam, nondum semiplenam, sed cavam & cornutam, κοίλη. Septimam vocant Διχότομον καὶ ἡμίσεωμον, id est, semiplenam, dimidiatam, dividuam, rectam, εὐθεῖαν. Undecimam vocant Αμφίκυρτον, id est, gibbosam, gibberosam, turgidam & tumidam. Decimamquintam πανσέληνον, id est, Plenilunium, & Oppositionem vocant. A plenilunio rursum fit ἀμφίκυρτος, id est, gibbosa: exin rursum Διχότομος: & tandem fit μηνοειδὴς, dum iterùm ad Σύνοδον, id est, Conjunctionem redeat. Schematismi enim, id est, conformationes, seu habitus, affectiones & visitationes Lunæ, qui sunt, dum augetur ordine immutato, procedunt, dum imminuitur. Omnes autem hæ Lunæ facies seu, σχήματα, Visitationes, Latinis, Græcis φάσεις etiam dicuntur. *Lalamantius.* G

Attici menses pares habent dies 30. impares dies 29. Post annos octo intercalant menses tres, singulos triceuum dierum. Ordo illorum talis:

Hecatombæon.	*Solstitiades duo*	Possideon.
Metageitnion.		Gamelion.
Boedromion.		Elaphebolim.
Maimacterion.	*Æquinoctiales.*	Munychion.
Pyanepsion.	*duo*	Targelion.
Anthesterion.		Scirrhophorion.

Romani mensium dies in tres ordines distribuebant, in Calendas, Nonas, & Idus, à quibus nominibus dies ipsi denominationem accipiebant. Ac primus quidem dies cujuslibet mensis Calendæ dicebatur: sequentes ut minimum quatuor, ut summum sex (nam quidam menses Nonas tantùm quatuor habent: quidam sex) Nonarum nomen accipiunt, qui inde sequuntur dies, Idus vocantur, in quolibet mense octo. Reliqui in finem mensis dies numero addito Calendæ dicuntur: ut XVII. Calendas, hoc est ante Calendas sive diem sequenti mensis primi. *Macrob. cap. 19. lib. 1. Saturn.* H

De numero Calendarum, Nonarum & Iduum hi versus extant:

Sex Majus Nonas, October Julius, & Mars,
Quatuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Calendas.
Nomen sortiri debent à mense sequenti.
Versibus his nascas mensis cujusque Calendas.
Tantum, tendebat, quod, regni, summa, tegebat,
Sanctus, Rex, talis, sapienter, regna, subegit.

XII. dictiones XII. mensibus ordini respondent. Initiales literæ quatuor significant numerum Calendarum: ita quidem ut Q. in ordine alphabeti XVI. R. XVII. S. XIIX. T. XIX. Calendas denotet. Ergo tantùm Calendas Januarii (quæ in Decembri sunt mense) à numero XIX. ordiendas indicat, & sic de cæteris. *Jovius. Lalamantius.*

CON-

A Conferendo, Conciliando.

Ut annorum diversa initia apud diversos, ita quoque ordo mensium variat apud eos qui Solis rationem habent, qui Lunæ, qui utriusque. Ergo cùm præcisè mensis mensi respondere nequeat, fit, ut graviss. auctores diversa de iisdem sæpè pronuntient. v. g. *Plut. in vita Alexandri Hecatombæoni, vel Cronio Atheniensium, Laon Macedonum componit, quem alii Boedromoni æquant. Idem in Iside Athyr Ægyptiorum Pyanepsioni Atticorum comparat, alii verò Anthesterioni. Nos ex Diario historico Henrici Pantaleonis, Medici, & Philosophi, Comitis Palatini, rudem hanc Mensium symbolen proponemus.*

ROMANORUM.	HEBRÆORUM.	ATHENIENSIUM.	MACEDONUM, & Græcorum.	CYPRIORUM.	ÆGYPTIORUM.	PERSARUM.	ARABUM, ET Saracenorum.
1 *Januarius.*	10 *Thebet.*	8 *Gamelion.*	*Audinæus.*	11 *Ethon.*	5 *Thebi.*	5 *Mardaimech.*	*Almuzaram.*
2 *Februarius.*	11 *Sebebat.*	9 *Elaphebolion.*	*Gerithios.*	12 *Remnut.*	6 *Mechir.*	6 *Sarembermech.*	*Saphar.*
3 *Martius.*	12 *Adar.*	10 *Munychion.*	*Dystrus.*	1 *Apiroditus.*	7 *Phamenoth.*	7 *Maberemech.*	*Rabe 1.*
4 *Aprilis.*	1 *Nisan.*	11 *Thargelion.*	*Xanthicus.*	2 *Apogonicus.*	8 *Pharmuthe.*	8 *Ebermech.*	*Rabe 2.*
5 *Majus.*	2 *Iair.*	12 *Skirrhophorion.*	*Artemisius.*	3 *Anicus.*	9 *Pachon.*	9 *Idramech.*	*Gemedi 1.*
6 *Junius.*	3 *Sivan.*	1 *Hecatombæon.*	*Dessius.*	4 *Junios.*	10 *Tauni.*	10 *Dimech.*	*Gemedi 2.*
7 *Julius.*	4 *Thamuz.*	2 *Metagitnion.*	*Panemus.*	5 *Cæsarius.*	11 *Epiphi.*	11 *Bessmenech.*	*Rege.*
8 *Augustus.*	5 *Ab, vel Ath.*	3 *Boedromion.*	*Lous, vel Dorus.*	6 *Sebastus.*	12 *Mesori.*	12 *Asfirmadech.*	*Subehen.*
9 *September.*	6 *Elul.*	4 *Maimakterion.*	*Gorpiæus.*	7 *Antovaticus.*	1 *Tuth.*	1 *Phordimech.*	*Ramadam.*
10 *October.*	7 *Thisri.*	5 *Pyanepsion.*	*Hyperberetæus.*	8 *Dimarchezagius.*	2 *Phaophi.*	2 *Ardaimech.*	*Savel.*
11 *November.*	8 *Marhesuan.*	6 *Anthesterion.*	*Diius.*	9 *Pythopatos.*	3 *Athir.*	3 *Cardaimech.*	*Dulchida.*
12 *December.*	9 *Chisleu.*	7 *Posideon.*	*Apelæus.*	10 *Archiereus.*	4 *Chiac.*	4 *Zirmech.*	*Dulcheja.*

L. B. Theat. vit. Human. Tom. V.

Mensium Considerata conjuncta per Triadas Trimestria anni tempora.

Ex Hip. 3. de Dieta, Hyems à Plejadum occasu ad Æquinoctium vernum: Ver ab Æquinoctio ad Plejadum ortum: Æstas à Plejadum ortu ad arcturi exortum: Autumnus ab Arcturi exortu ad Plejadum occasum.

Galenus 3. Aphorismorum 14. & in 1. & 2. Ep. Hippocratis. Ver ab eo, quod Hyemem sequitur æquinoctio, exordium sumere scribit. Æquinoctium autem vernum initio Artemisii assignant. *Aetius serm. 3. tetrabili 1. c. 164.* mensis Martii (ut interpres habet) die 33. æquinoctium vernum esse dicit. *Varro lib. Rei rusti. cap. 20.* diem Aquarii 23. seu si vis Februarii septimum (nam Columellæ 17. Calend. Febr. fol. in Aquarium transitum facit) Veris initium esse dicit. Cui adstipulatur & *Constantinus Cæsar cap. 1. lib. 1. de Agricultura.* Astronomi, alii medium Martium, alii decimum diem Martii, alii Februar. 22. diem Veris initio assignant. Columella æquinoctium Veris contingere scribit circa 8. Calend. April. quod est circa 25. Martii in octava parte Arietis. F Idem ibidem scribit, Hipparchi rationem docere Solstitia, & Æquinoctia non octavis, sed primis partibus signorum confici. Plinius tradit advenas volucres ad 6. Calend. Febr. spem veris attulisse, & esse quosdam, qui certissimum Veris initium arbitrentur, ob infinitum animalis papilionis proventum: Et *idem lib. 16. cap. 25.* scribit, florem arborum esse pleni Veris indicium, & anni renascentis. Item Favonium flare ab occasu æquinoctiali, & Ver inchoare: incipere autem flare circiter ferè sextum Idus Februar. ut verum sit, quod idem Plinius dicit, dierum ipsorum, anni, Solisque motus (atque adeò Æquinoctiorum, & Solstitiorum) propè in explicabilem esse rationem. Id quanquam verum est, convocati tamen annis ante hæc nostra tempora mille ducentis triginta novem in Nicæna synodo Patres, qui tunc Ecclesiæ præerant, ad trecentos decem & octo, Æquinoctium vernum omni studio certis diei, ac loco affigere fategerunt (non quòd ibi perpetuò hæsurum putarent, aut quod ignorarent voluentibus annis idipsum inde motum iri, & retrocedendo anticipaturum: sed quod ut sui temporis curam gerebant, ita eos, qui sui ipsorum locum quasi per manus acceptum aliquot post annis tenerent, & veluti hæreditario jure sibi vindicarent, suo exemplo ejus etiam rei, cùm necessitas postularet, curam gesturos arbitrarentur.) Hi ergo Æquinoctio verno (id Sole Æquatorem tenente contingit) duodecimum Cal. Apr. seu Martii vicesimum primum assignaverunt. Quod optima ratione eos fuisse judicabis, si perpenderis quarto quoque anno minuta 44. plus quàm oportet in an. Rom. intercalari, cùm scilicet dies integer seu horæ 24. plenæ anno Bisflexili intercalantur. Et quanquam 44. minuta quarto quoque anno superabundantia, parui momenti esse videantur, tanti tamen momenti sunt, ut singulo quoque centesimo trigesimo primo anno Æquinoctium in antecedentia reiiciant unius diei intervallo. Cùm ergo Nicæna synodus animadvertisset tempore incarnationis Christi, vel, ut alii notant circa Julii Cæsaris tempora, Æquinoctium vernum in diem Martii 25. incidere, ab illo verò tempore ad sua usque an. trecentos viginti quatuor effluxisse, atque adeò æquinoctium vernum per tres ferè dies retrocessisse in antecedentia, & à 25. Martii in 22. ejusdem retrolapsum: illi & præterito jam tempori, & parti etiam aliquotæ futuri prospicere studentes, verno Æquinoctio diem Martii vicesimam primam assignaverunt. Jam verò cùm à tempore Nicænæ synodi, Christi ann. 331. celebratæ, anni ad hæc nostra tempora effluxerint mille ducenti triginta novem (agitur quippe nunc ann. MDLX.) fit ut Æquinoctium vernum pari ratione retrocesserit ab illo tempore ferè per 12. dierum spatium, ut jam in Martii nonum retrocessisse comperiatur, & quidem XII. Martii (quo die constituebat Æquinoctium Nicæna synodus) tridui intervallo distare ab eo quod Plinius, & bidui ab eo quod Montanistæ eidem assignabant. *Plin.* siquidem *lib. 18. c. 16. 25.* Martii: Montanistæ nonum Cal. April. eidem assignabant. Nos, ut commodius, & faciliùs, quod quærimus (Lunam dico primam Verni temporis, atque adeò etiam primum & anni, & mensis Hebraici diem) quasi digito indicemus: Æquinoctio verno octavum Id Martii assignamus: non quòd ignoremus nostri temporis Astrologos scribere, se illud ipsum hac nostra tempestate Martii x. deprehendere: sed quòd ob rationes prædictas in cum ferè diem hac tempestate retrolapsum sit: & quòd nisi eo ibidem

fixo, collocatoque primæ Verni temporis lunæ, atque adeò
A primo Hebraici anni diei, certus, & verus locus assignari non possit. Nullibi ergo commodius, ut his temporibus, meo quidem judicio, constitui potest. Quo posito, dico eam primam Lunam novam, quæ prima post octavum Idus Martii occurret, anno Hebraico, & primo diei mensis Nisan initium adferre. *Jo. Lalamantius Com. de anno.*

MENSIUM USUS CHRONOLOGICUS, UT CONSIDERANTUR TOTI, vel SINGILLATIM. RESPECTU GENTIS, Sic perpenditur mensis Hebræorum.

Primus.

Joseph. in lib. 1. Antiq. Judaic. c. 3. Moyses, inquit mensem Nisan, qui est Xantichus, primum in suis festis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset. Eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinebant, exordium fecit. *Et lib. 2. cap. 6.* de Hebræis loquens inquit: Reliquerunt autem Ægyptum mense Xanticho, Luna decima quinta. *Item lib. 3. c. 9.* Initio, inquit, sequentis anni men-
B se Xanticho Macedonum, Hebræorum Nisan, tabernaculum noviluniò dedicatum est. *Et ejusdem lib. c. 10.* Mense Xanticho, qui nostris Nisan dicitur, & annum exorditur Luna decimaquarta, Sole Arietem obtinente (quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus) sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse dicimus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur. *Item lib. 11. c. 4.* Instante, inquit deinde Azymorum festo, mense primo, qui Macedonibus Xantichus, nobis verò Nisan dicitur, confluxit totus populus ex oppidis in urbem.

MARDOCHÆUS prima die mensis Nisan vidit somnium. *Esd. 1.* D. 1. anno septimo Artoxerxis. Esdras Babylone egressus, primo die mensis quinti Hierosolymam venit. 1. *Esd. 7.* D. 1. anno Octavo Darii Judæi abjecerunt uxores alienigenas. 1. *Esdræ 10.* Nehemias impetravit à Rege Artoxerxe anno regni 2. litteras pro Hierosolyma instauranda. 2. *Esd. 1.*

Die 10. Israelitæ è Jordane ascendentes, Galgalis castra metati sunt. *Josue 4.*

Die 10. Ezechieli secunda visio facta de templi reparatione, anno 25. transmigrationis Joachin. *Ezech. 40.* Die 13. Aman sortem jecit de Judæorum gente tollenda. Et exiit
C mensis duodecimus. At tertio post mense ipse suspensus fuit. *Hest. 3.* anno Assueri 12. D. 14. fecerunt Judæi Pascha transmigrationis Babylonicæ, anno sexto Darii. 1. *Esd. 6.* D. 22. anno regni sui 18. Darius de bello Occidentalibus inferendo consilia agitavit. *Judith. 2.* Die 15. cessavit Manna. *Josue 9.* D. 24. anno à reditu è Babylone 5. vidit Daniel suam postremam visionem. *Dan. 10.*

Secundus.

Secundo mense Iiar anni secundi ab egressu, Israelitæ recensiti, & XII. Principes constituti in deserto Sinai *Num. 1.* Ejusdem mensis 20. die elevata est nubes de tabernaculo, & profecti sunt è Sinai è deserto ad Pharan. *Num. 10.*

Tertio Regum cap. 6. legimus Salomonem anno regni sui 4. anno verò CCCCLXXX. egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, Mense Zio, qui secundus est, domum Domino ædificare cœpisse, quod & notat *Josephus Antiq. lib. 8.*
D *cap. 2.* qui mensem hunc Macedonibus Artemisium, Iiar verò Hebræis dici asserit.

Mensis 2. die 25. Simon Machabæus arcem Hierosolymorum recepit, atque incendit: anno M. 3828. 1. *Machab. 13.*

Secundo mense, anno secundo reditus à Babylone sub Cyro, Zorobabel cœpit muros ædificare. 1. *Esd. 3.* Impedito inde conatu sub Cambyse, per annos novem eo mortuo, sub Dario iterùm reversi, templum inchoarunt. 3. *Esd. 5.*

Tertius.

Tertii mensis Sivan, die 23. Aman suspenso, pro Judæis redimendis literæ concessæ, Assueri Regis anno 12. *Hest. 8.*

Quartus.

Quarto mense Thamuz, anno secundo Exitus, missi exploratores ab Israelitis in terram sanctam, nono die mensis Ab sunt reversi. *Num. 13. & Jos. 41.*

Quarti mensis die 5. anno transmigrationis Joachin quinto, Ezechiel primas visiones vidit. *Ezech. 1.* Die 9. anni 11. Sedechiæ, capta est Hierusalem à Nabuchodonosore *Hier. 52.*

Quintus.

Quinto mense Ab, Moyses legis tabulas è monte tulit. E
primas, *Exodi 32.* Post alteros 40. dies mense Elul secundas. *Exodi 34.*

Ejusdem die primo, anno ab Exitu 40. Aaron obiit. *Num. 33.*
D. 4. Nehemias cœpit ædificare Hierusalem. 2. *Esd. 3.*

Sextus.

Die 25. completi à Nehemia muri Hierusalem, anno 22. Artoxerxis. *Nehem. 6.*

Muri Hierosolymorum completi ab Esdra 25. die mensis Elul. 2. *Esd. 6.*

Septimus.

Joseph. Antiq. Judaic. lib. 8. cap. 3. ex 3. Reg. 8. Salomon Rex, inquit, per literas jussit magistratus, ac seniores Hebræorum totum populum Hierosolymam congregare, ad spectandum templum, & transferendum illuc aram à Deo sacratam: denunciataque omnibus profectione, septimo demum mense convenerunt, qui nostratibus est Ethanim, sive Thysri: Macedonibus Hyperberetæus: inciditque in id tempus Scenopegia, festum apud Hebræos sanctiss. & maximum.

Die primo, anno primo solutæ captivitatis Babylonicæ, obtulerunt Israelitæ, non fundato templo. 1. *Esd. 3.*

D. 24. anno primo à reditu è Babylone, separarunt Judæi F
à se uxores alienigenas. *Nehem. 9.*

Octavus.

Octavo mense Bul templum Domini absolvit Salomon, XI. regni anno, in septennium cœptum. 5. *Reg. 6.* Die 15. Hieroboam Rex Israelitarum vitulos aureos erexit. 3. *Reg. 12.*

Octavo mense, anno secundo Darii Medi, Zacharias populum ad pœnitentiam vocavit. *Zach. 1.*

Nonus.

Initio factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Chisleu. *Zach. 7.*

Joseph. Antiq. Jud. lib. 11. cap. 7. de profanatione templi Hierosolymitani, & clade in eo facta loquens: ea clades, inquit, accidit anno secundò post urbem captam, regni ejus familiæ centesimo quadragesimoquinto, vicesimaquinta ejus mensis, qui Chisleu nostris Macedonibus Apellæus dicitur. *Olympiad. 153. Ex 1. Machab. 1. & 10.*

Constituit Judas, & fratres ejus, totaque Israelitis concio, ut dies renovationis altaris suis temporibus agiteretur singulis annis, octo dies scilicet à 25. die mensis Chisleu, magno cum gaudio, & lætitia 1. *Mach. 4.* G

Decimus.

Decimi mensis die 10. anno nono Sedechiæ, obsedit Nabuchodonosor Hierosolymam. *Hierem. 52. & 4. Reg. cap. 25.*

Ducta est Hester ad cubiculum Regis Assueri mense decimo, qui vocatur Thebeth. *Hest. cap. 2.*

Undecimus.

Undecimi mensis Schebat, vel Sebath die primo, anno Exitus 40. Moyses legem populo repetit, & obiit: Josue principatum suscepit.

D. 24. anno secundo Darii, audivit Zacharias Angelum intercedentem pro populo captivo. *Zach. 1.*

Duodecimus.

Mortuus est Moyses ultimo anni mense, die prima mensis, qui à Macedonibus Dystrus dicitur, ab Hebræis verò Adar, vir omnium quotquot unquam fuere prudentissimus. *Joseph. lib. 4. Antiq. cap. ult.*

Die 27. anno transmigrationis Joachim, Amelinus Evilme- H
rodach eduxit Joachimum regem è carcere, & posuit thronum ejus super thronum regum reliquorum. *Hierem. 52. & 4. Regum 25.*

Die 5. anno Darii 6. completum est templum à Judæis. 1. *Esd. 6. & 3. Esd. 5.*

Cyrus, quem Græci Artaxerxen nominant, Hesteræ consuetudine delectatus, & amore correptus, legitimam uxorem eam sibi adjunxit, nuptiasque celebravit anno regni sui septimo, mense duodecimo, qui Adar dicitur. *Joseph. lib. 11. Antiq. cap. 5.*

Literæ signatæ sunt ipsius Assueri annulo, missæq; per cursores Regis ad universas provincias, ut occiderent, atq; delerent omnes Judæos à puero usq; ad senẽ, parvulos, & mulieres uno die, hoc est tertiodecimo die mensis XII. qui vocatur Adar. *Et c. 8. ibid.* Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est decimatertia die mensis XII. Adar. *Machab. 1. c. 7.* Et commiserunt exercitus prœlii tertia decima die mensis Adar.

Tertiade-

Tertiadecima die mensis Adar, vocatur voce Syriaca Pridei
A Mardochæi dies. *Mach. 2. c. 15.*

Athenienſium mensis.

Primus.

THESEUS Athenas venit octavo Hecatombæonis, qui prius Cronius, id est, Saturnius dicebatur. *Plut. in Theseo.*

Idem 16. die Hecatombæonis Metœcia sacrum à mutatis sedibus dictum fecit. *Plut. in Theseo.*

Bocoti, qui quinto die ejus mensis, qui ipsis Hippodromius est, Hecatombæon Athenienſibus, duas præclarissimas victorias paraverunt: unam in Leuctris, alteram ad Gerestum. *Plut. in Camillo.*

Secundus.

METAGEITNION, quem Panæmum Bœoti dicunt, Græcis inauspicatus fuit. Ejus enim die septima pugna ab Antipatro victi Athenienses in Cranone protinus perierunt. *Plut. in Camillo.* Item in Nicia. Fuit is dies (quo Nicias captus est) 24. Carnii mensis, quem Metageitnionem Athenienſis cognominant. *Et in Poblicola* scribit, Capitolium dedicatum esse, idibus Septembris, quas vult cum plenilunio Metageitnionis concurrere. Etsi videtur pro Metageitnionis, Maimacterionis esse legendum. Nam Maimacterion propius ad Septembrem accedit. *Jovius Lalamantius de*
B *Anno.*

Tertius.

THESEUS mense Boedromione Amazones vicit. Unde nomen mensi inditum, & sacra Boedromia instituta, à clamore sublato, cùm ad auxilia concurreretur.

Circa tempus id, quo Mysteria Athenis celebrantur, Thebæ ab Alex. diruta, & Athenienses præsidium Macedonum accepere, circiter XX. Boedromionis. *Plut. in Camillo.*

Persæ mensis Boedromionis die 6. in Marathone infeliciter pugnarunt. Et Luna tum defecit. *Ibid. & in Alex.*

Parva Mysteria Anthesterione: magna Boedromione celebrabantur Athenis. *Plut. in Demetrio.*

Quartus.

Plataenses se parentaturos receperunt singulis annis Græcis illis, qui cecidissent, & occubuissent in expeditione contra Persas, id quod & in hunc usque diem faciunt, die decima sexta Maimacterionis, qui Bœotis Alalcomenios dicitur. Hunc mensem nonnulli à Mæmacta, id est, Jove, cui eo men-
C se sacrificabatur, volunt. *Plut. in Aristide.*

Quintus.

THESEUS obiit die Pyanepsionis XVI. quo die austeram admodum Tesmophoriõn deam mulieres celebrantes, apud deam jejunant. *Plut. in Demostene, & in Decem.*

Sepulto patre Theseus votum repræsentavit Appollini septima die mensis Pyanepsionis, qua die in urbem redierat. Quòd autem coquuntur legumina, (hæc πύανα Græci dicunt, unde mensi nomen) inde sumptum ferunt, quòd reduces, ciborum quicquid erat reliquum, commisceuerunt, ac in unam ollam conjectum coxerunt, cùm simul epulati sunt. Octavo etiam die hujus Pyanepsionis quotannis Pyanepsia celebrabantur Athenis in memoriam felicis reditus Thesei, qui interfecto Minotauro in Creta, & liberatis à difficili tributo Athenienſibus, ac secum reducens incolumes Athenienſium liberos obsides datos, tali die urbem ingressus est. *Plut. in Theseo.*

Sextus.

Thucydid. lib. 2. hist. duodecimo die Anthesterionis Dionysia antiquorum Athenis celebrata fuisse scribit. Et Suidas Ches, inquit, festum erat apud Athenienses celebratum XII.
D Anthester. Apollodorus ait, Anthesteria generatim vocari totum festum Dionysio celebratum.

Nonus.

Æschines in Oratione περὶ παραπρεσβείας dicit, Demosthenem tempora civitatis suffurantem decretum scripsisse, ut pryantes concionem convocarent octava incipientis Elaphebolionis mensis, cùm sacra fierent Æsculapio.

Thucydid. lib. 5. hist. loquens de conditionibus pacis, initæ inter Athenienses, & Lacedæmonios, in annos quinquaginta, scribit, Pacem factam fuisse Lacedæmone Archonte Plistola Ephoro, diebus 4. ante finem Artemisii, Athenis Alchæo archonte, sexto die Elaphebolionis definentis.

Decimus.

Athenarum mœnia solo exæquavit Lysander anno primo, ac septuagesimo post victoriam Græcorum Salaminiam. Addit Plutarchus in Lysandro, utrumque contigisse sexta die mensis Munychionis. *Io. Bodin. Method. hist. c. 6.*

L. B. Theat. vit. Human. Tom. V.

Undecimus.

Sexta Thargelionis incipientis Socratis natalis, septima Pla- E
tonis etiam natalis celebrantur: *teste Plutarch. in Sympositis, & Laert. lib. 7. in Platone.* Et *lib. 2. in Socratis vita circa finem*, scribit Socratem natum anno 4. Olympiadis 77. Thargelionis mensis sexto die: quo die lustrant, inquit, Athenienses civitatem.

Plutarchus in Camillo Thargelionem mensem inter nefastos numerat, & infelices Barbaris. Eo enim mense Alexander ad Gramcum Regis duces superavit, ejusque mensis XXVII. Carthaginenses à Timoleonte apud Siciliam victi. Circa eundemque diem Troja capta censetur, ut est ab Ephoro, Callisthene, Damaste, & Plutarcho traditum. Et *Dion. Halicarn.* scribit Trojam captam fuisse sub finem Veris diebus 17. anno solstitium æstivum XXIII. die mensis Thargelionis, ut quidem Athenienses solent supputare.

Romanorum mensis.

Primus.

Romæ comitia celebrata, Magistratus electi, & lauri frondes novis magistratibus datę. Cal. Rom. Stipes erogabantur, dulciaria dabantur. *Ovid.*

Januarius Nuptialis Rom. & præsertim die 22. Ludi Palatini 17. Januar. Romæ capti, in septem dies durabant. *Cal. Rom.* F

Secundus.

Februarium secundum mensem institutisse Numam, Februoque deo, qui lustrationum potens creditur, dicavisse, tradit *Macrob.* Lustrari autem eo mense necesse erat, civitatemque statuit, ut justa diis manibus solverentur. *Varro*, Februarius, inquit, ab diis inferis appellatus, quòd tum his parentent. Ego, inquit, magis arbitror, Februarium dici à die Februato, quòd tum februatur populus, id est, à Lupercis nudis lustratur. Et idem alio loco, cùm Rex ferias mensituas Nonis Februarii dicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum. Hæc ille, Cæterum Februum deum nonnulli Platonem vocant. *Plut.* Februarius quasi lustralis dictus est. Expiationem enim Februa significant, & tunc mortuis parentant. *Io. Lalamantius.*

Tertius.

Martio mense, Quinquatria Minervæ agebantur. Ancilia Salii circumferebant, Vectigalia locabantur.

Quartus. G

Aprilis ab Aphrodite Venere, cui hoc mense sacra faciebant Romani, Æneæ auctoris generis matre: uti à Marte Romuli patre Martius.

Quintus.

Majus Mercurio facer. A matre Maja nomen, cui in multis civitatibus Latinis ante V.C. sacra fieri solita, Festus scribit: A Carolo Magno *Bunmonat*, mensis Hilaritatis dictus. Nam tunc omnia rident.

Calendis, Nonis, & Idibus Maii Lari deo sacra Romæ fiebant, asello panibus coronato. *Cæl. Rom.*

Cur mense Majo uxores non ducunt Romani? An quòd inter Aprilem, & Junium medius interjectus est: quorum cum alter Veneri, Junoni alter dicatus sit, duabus scilicet quæ nuptiis præsunt, aut parum antè capiunt, aut parum exspectant? An quòd hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modo de ponte deiicientes, cùm prius homines consuevissent; unde Flaminicam Junonis sacerdotem tristem esse eo tempore: quippe quæ eo mense nullo coitu utatur. An quòd plerique Latinorum hoc mense mortuis parentant, & ob eam causam Mercurium quoque eodem mense venerantur, qui Majæ cognominis est? An ut qui- H
dam dicunt, Majus à majoribus natu appellatus est, Junius à junioribus? Nuptiis verò accommodatior est junior, ut inquit Eurip. nam senectus Venerem valere jubet, ipsaque Venus senibus insensa est. Abstinent igitur Majo nuptiis, Junium expectantes, qui Majum ordine excipit. *Plut. in quæst. Rom. 29. & 84.*

Sextus.

Junius, Junoni Monetæ facer. *Festus.*

Octavus.

Hic sextilis anteà vocabatur, quod sextum in anni ordinatione à Martio justa supputatione locum tenebat. Mutato tamen posteà nomine in honorem Augusti Cæsaris Imperatoris secundi Augustus dictus est, de ejus nomine: & quod Augustus eo mense primum consulatum iniisset, & tres triumphos in urbem intulisset: quod item Ægyptus hoc mense in populi Romani potestatem ab eo redacta esset.

USUS, MENSES
Infelices.

A Uno eodemque mense Michael Græcorum, & Ludovicus Pius Romanorum Impp. una cum Gregorio Pontifice Maximo diem obierunt. *Bonfin. l.10. Decad.1.*

CONJUNCTIM.
Per Trimestria.

Cæso Holopherne, & profligatis Assyriis, Israelitæ Hierosolymis festum in conspectu Sanctuarii per tres menses exegerunt, & posteà in suam quisque patriam reversi sunt. Dies ipse victoriæ solennis apud Hebræos in numero sacrorum dierum habetur, & à Judæis colitur. *Judith.26.*

CONSTANTINUS Magnus in Vere natus, atque mortuus: Maxentium, & Licinium superavit, Concilium Nicænum inchoavit.

SEMESTRIA.
☞ *Huc ea, quæ sex mensium spatio contigerunt.*

* MENSES
Quibus Diis sacri apud Romanos.

Romani Annum Jovi, hoc est Soli, menses Junoni, id est, Lunæ consecrabant. Efficit enim Sol circumscriptione sua
B Annum, vel Luna mensem. Lunam autem Junonem appellarunt à juvenescendo, & Lucinam quasi lucidam: putantque eam auxilio esse parentibus. Unde illud:

Per cæruleum astrorum polum,
Partus, celerantemque Lunam.
Plutarch. in Quæst. Roman.

Rursum Gentiles, ut gubernationem divinam profiterentur, docebant XII. Deos mensibus XII. præsidere. Januarii tutelam credebatur habere Juno, Februarii Neptunus, Martii Minerva, Aprilis Venus, Maii Apollo, Junii Mercurius, Julii Jupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Novembris Diana, Decembris Vesta. *Gyrald. Syntagm.1. Alex, ab Alex, l.3.c.24.*

* QUI IMPERATORES NOMINA SUA MENSIBUS COMMUNICARUNT.

Athenienses dum plus æquo Demetrio adularentur, lege caverunt, ut Januarius, ac prima, & ultima mensis dies nomine Demetrii appellaretur.

Illius exemplo nonnulli ex Cæsaribus, perpetua felicitate
C insolentes, ut refert *Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 24.* mensibus sua nomina indiderunt favore imperitæ multitudinis ducti. Nam September, & Junius, Germanici nomine appellati sunt, October Domitianus, Aprilis Neroneus, Majus Claudius: sicut Augusti, & Julii nomina velut sanctiora divo Cæsari, & Octavio vulgi opinio, & consensus consecravit. Tiberius verò Cæsar, ne September suo nomine, neve October Livius vocaretur, apud populum intercessit, & pervicit. Commodo autem Antonino, pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, assentatores nomina indiderunt: à Tacito verò Cæsare, September Tacitus dictus est.

* DIERUM CUJUSLIBET MENSIS VARIETAS.

Cùm alii menses aliis plures habeant dies, illud hexastichis bis declaratur.

Junius, Aprilis, September, & ipse November,
D *Hi denos ter habent, dinumerantque dies.*
At reliquos menses omnes ex ordine Jani
Unum & triginta quemque tenere ferunt.
Sed Februus tantùm viginti continet octo:
Ille bisextilis ni tamen annus erit.

* OBSERVATIONES OECONOMICÆ, PROGNOSTICÆ, ET MEDICÆ, Singulor. Mensium.

ITEM, MENSIUM LABORES, HENRICI RANZOVII versibus illustrati.

JANUARIUS.

Janus vina bibit, crepitantique assidet igni,
Et pingues carnes torret, editque suem.
Annum præteritum claudit, referatque futurum.
Sed venam ferro tangere, jure vetat.

Aliter.

Jane bicepi, anni finis, redeuntis origo, E
Lætus ad ignivomum decoque parta focum.

FEBRUARIUS.

Indurat liquidas glacie Februarius undas,
Frigeoque exclamat, ligna hipenne secat.
Excitat ad Venerem, mandatque incidere venam,
Sub glacie multos piscicolosque capit.

Aliter.

Qui Februo tibi nec pelles, nec ligna reservas,
Falleris, hac curum, qua ratis ibat, ages.

MARTIUS.

Vomere scindit agros, noctesque diebus adæquat
Martius, ac Veris tempora læta creat.
Balnea inire jubet, & navibus æquora sulcat,
Ac vitem, frondes arboreasque putat.

Aliter.

Vomere scindit agros, noctesque diebus adæquat
Martius, & Veris nuncia hirundo redit.

APRILIS.

Arboribus frondes, dat campis gramen Aprilis,
Perficit, ac pleno munere Veris opus.
Humores purgare jubet medicamine pravos, F
Et celebrat Christi Paschata sacra gregis.

Aliter.

Cana viret tellus, è frondibus induit arbor,
Aprilis gemmans eliciente decus.

MAJUS.

Majus habet flores, fluvium facit inde butyrum,
Lætitiaque hilarat cuncta creata sua.
Venatu invigilat, quo longas transigat horas,
Temperie super at tempora cuncta sua.

Aliter.

Salve ter felix ò Maje Smaragdine, salve,
Temperie certant tempora nulla tibi.

JUNIUS.

Junius ad sævi proficiscitur horrida Martis
Prælia, mellificat, fœnaque falce metit.
Crescentem segetem spicis exasperat, atque
Lanam ovium tondet, Solstitiumque facit.

Aliter.

Junius æstivo detonsa tempore lunæ
Defendas pecori, Solstitiumque jubet. G

JULIUS.

Julius ardenti Cane torridus arva perurit,
Et gelido nudos alluit amne viros.
Falce metit segetes, sequitur vestigia cervi,
Ac lepores fallit seu cane, sive plagis.

Aliter.

Sub Brumam ne fortè pecus moriatur, Juli
Prospicis, & curva gramina falce secas.

AUGUSTUS.

Augustus pyra dat, maturas poma calore,
Ad coitum cervos sollicitatque vagos.
Æstiferi Canis ardores hic terminat idem,
Atque operas finem messis habere facit.

Aliter.

Jam maturescunt Augusti munere fruges,
Cumque amplo sortem fœnere reddit ager.

SEPTEMBER.

Stercore September sterilem fœcundat agellum,
Proscissoque jacit semina lecta solo.
Maturas roseo de palmite colligit uvas. H
Noctem æquat luci, dulcia musta coquit.

Aliter.

Augusti Ceres est, Septembris munus Iacchus.
Unde homines vivunt, nos duo perficimus.

OCTOBER.

Frigoribus cœlum magis intractabile reddit
October, stabula hinc cogit adire pecus.
Arboribus fructus adimit, spoliatque decore,
Atque etiam cupidè turbida musta bibit.

Aliter.

October mustum calcatis exprimit uvis,
Et serit hoc anno, quæ redeunte metat.

NOVEMBER.

Ligna vehit, mactatque boves, & lætus ad ignem
Ebria Martini festa November agit.
Ad pastum in silvam porcos compellit, & ipse
Pinguibus intereà vescitur anseribus.

Aliter

Aliter.

A *Autumnus quæcunque dedit, consumo November,*
Et pinguem hyberna glande trucido suem.

DECEMBER.

In nive persequitur vestigia pressa ferarum,
Abluit & calida membra December aqua.
Affert Solstitium, celebrat cunabula Christi,
Et jugulat porcos, tribula dura serit.

Aliter.

Haud avis, haud fera venanti deest ulla Decembri,
Quamvis ningat atrox, & gelet usque vadum.

* ALIÆ EJUSDEM OBSERVATIONES Oeconomicæ, Prognosticæ, ac Medicæ.

JANUARIUS.

Fœcundus Janus calices, escamque tepentem
Poscit: at arcenda est corpore segnities.
Vena tibi nullum spargat tum secta cruorem:
Tunc datur, ut longo membra sopore juves.
Vitis abundantes tunc fudit prodiga fructus,
B *Cum tua, Vincenti, lux fine nube fuit.*

Aliud.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:
Si fuerint venti, designans prælia genti:
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque,
Si nix aut pluvia, tunc scient tempora cara.

FEBRUARIUS.

Frigore, pisce, feriisque abstine: aromata, vina
Elige, dehinc sanguis sanior ut sit, age.
Pharmaca, Clysteres, thermas, amplectere, venam,
Ne tussi, aut febri corripiare, seca:
Pharmaca nunc bauri, nunc scinde in Pollice venam,
Et calido multum flumine membra fove.

Aliud.

Aspera si non sævit hyems in mense secundo,
Crede mihi, in fanctio Pascate frigus erit.
Pabula jumentum nocturno tempore pascet:
Sic quoque tunc fœni maximus usus erit.
Occlusos Phœbus referat cùm Piscibus agros,
Et multas multa cum nive fundit aquas.

MARTIUS.

Ut corpus foveas, ut balnea sæpius intres,
C *Sis memor, ast vinum nunc, Veneremque fuge.*
Jam puris te pasce cibis, & pharmaca linque,
Quin etiam venæ sectio sæpè nocet.
Cùm ficus fuerit, bona tempora denotat anni,
Martius, & frugum fertilitate beat.

Aliud.

Cùm tua lux rediit votis optata Gregori,
Et jam jucundis flatibus aura tepet.
Cùm redit, & volucris longis innisa colubris,
Quæ soles in prima nidificare domo.

APRILIS.

Sanguine, crede mihi tum corpora nostra redundant,
Cùm, qui terram aperit, mensis Aprilis adest.
Cura igitur, moneo, tibi dextera vena secetur,
Justus, & in potu sit modus inque cibo.
Excute pigritiam membris: tibi sume laborem,
Otia non prosunt: proderit ergo labor.
Venari lepores, committere semina terræ,
Aut etiam gratas inseruisse pyros.

D Aliud.

Tunc bonus est annus, feliciter omnia crescunt,
Replentur cellæ, ac horrea læta simul.
Martius exsiccat cùm terram, humectat Aprilis,
Frigidulumque sequens æra Majus habet.

MAJUS.

Lætus ubi advenit Majus, pete roscida rura,
Linque merum, potior fit tibi Lactis amor.
Balnea tunc cole, tunc tibi commoda pharmaca sume,
Et misso saliens sanguine vena fluat.

Aliud.

Mensis ubi fuerit Martis sub nube serenus,
Et contra pluviis fœtus Aprilis aquis.
Frigora si Majus secum trahat, aureus annus,
Tunc tibi, & omnigenis fructibus uber erit.

JUNIUS.

Nunc leporem timidum catulo sectare fugaci;
L.B.Theat. vit. Human. Tom. V.

Nunc canibus leporem, canibus venabere Damas.
Acer odoratu sequitur canis omnia morsu: E
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent,
At vos in tenera pecori gratissimus herba est.

Aliud.

Æstas grata redit spicea serta gerens,
Baptistæ fuerit cum lux pluviosa Joannis:
Ingrati messis plena laboris erit.

JULIUS.

Julius exardens, potumque, escamque requirit
Frigentes, mensam piscis, olusque oneret.
Tunc undis te immerge, vigent tunc balnea, venam
Comprime, nec Veneris noxia furta pete.

Aliud.

Implentur variis frumentis horrea, quando est
Aer Jacobi lucidus ante diem.

AUGUSTUS.

Si non ægrotas, tibi nunc servare memento
Sanguinis in toto corpore quidquid habes:
Sectio namque nocet venæ, nec aromata profunt,
Hæc igitur cautè sunt fugienda tibi.
Plura recenseri vitanda hoc tempore possunt,
Nempe diurna quies, balnea, vina, Venus. F

Aliud.

Alma Dei genitrix qua luce assumpta putatur,
Promittit Solis suavia vina jubar.

SEPTEMBER.

Indulge hìc genio, medicamina sume, cruorem
Venis mitte, cutem scarificato, lava.
Poma, ferina, & apes profunt: sic vina, Venusque,
Parcè sumpta tamen: nam nimium omne nocet.

Aliud.

In Venerem rapitur lascivio corpore cervus,
Ægidi quando lux recolenda redit.
Tum quoque si Phœbus splendet, fit copia vini.
Et secum Autumnus commoda multa trahit.

OCTOBER.

October varias vocat in certamina classes.
Venatum corpus tunc tege veste nova.
Nec medicam asperneris opem, tunc pharmaca profunt.
Tunc longa somnum ducere nocte potes.

Aliud.

Festa dies Judæ probibet te incedere nudè:
Ast aptis corpus vestibus omne tege.

NOVEMBER. G

Quisquis es, ad calidum tum vive quietior ignem.
Ostia securus læta November amat.
Jam stomacho mulsum, jam Zingiber utile credunt,
Conditum cereo si tibi melle fluat:

Aliud.

Dum sacra Martini recolo, mox Solis in Ortu
Pleiades in gelidas præcipitantur aquas.
Illa dies toto fuerit si nubila cœlo
Inconstans frigus, turbida fiat hyems.
Sin verò Phœbus perluxerit æthere claro,
Intensum frigus, sicca sequetur hyems.

DECEMBER.

Esceis ante focum calidis utare Decembri,
Valdè olus, & lac sunt tunc fugienda tibi.
Tunc vino, Venerique indulge, & aromate multo
Sparge cibos, artus sæpè labore doma.

Aliud.

Quo propior fuerit Christi natalis Jesu.
Cùm nova recrescens cornua Luna parat: H
Annus eò melior, tu experto crede, sequetur,
Qui nos optata fertilitate beet.

* Hi versus Menses Anni continent, & Signa, in quibus Sol versatur: deinde Solstitia, & æquinoctia.

Martius, atque Aries producunt tempora Veris,
Aprilis secum torvi fert cornua Tauri.
Floribus adducit Geminorum sidera Majus.
Solstitium æstivum Cancri fert Junius axe.
Quintilem mensem Leo fervidus ignes perurit.
Augusto messes tecum trahis aurea Virgo.
Æquat September noctes examine Libræ.
Scorpius Octobrem pugnax jubet ire minacem.

Exerit Arcitenens medio sua signa Novembri,
A *Solstitiumque affers hyemis, Capricorne, Decembri.*
In medio Jani madidi flat sidus Aquari,
Procedunt duplices in Februa tempora Pisces.

* Menstrua.

MENSTRUORUM

Definitio. Natura. Virus.

Menstrua appellantur Profluvium mulierum, frigidi, & noxii, ac digesti humoris, quem natura expellit. Dicuntur hoc nomine, quòd quolibet mense recurrant in mulieribus, quæ illa sunt ætate, ut possint concipere, hinc & menses à medicis vocantur.

Menstruorum autem Virus describitur *Plin. lib. 7. cap. 4.* Nihil inquiens mulierum profluvio magis monstrificum reperitur. Accescunt ejus superventu uvæ, sterile fcunt tactæ fruges, exuruntur hortorum germina, fructus arborum quibus insedere, decidunt, speculi fulgor ipso aspectu hebetatur,
B acies ferri perstringitur, eborisque nitor, alvei apum emoriuntur, æs, atque ferrum rubigo corripit, & aera ditus odor, in rabiem aguntur eo gustato canes, atque insanabili veneno morsus infigitur,

Hinc meritò Diogenes mulierem speciosam dixit templum ædificatum super cloacam.

Testis est *Joannes Moschus in Prato spirit. cap.* 115. Monachum quendam à matrona casta, quam deperibat, fuisse à tentatione liberatum, injecta menstruorum mentione. Sic enim dicebat: Non est, quòd me jam contigere valeas. Sum equidem nunc in menstruis, neque præ fœtore odorari quis potest.

IMMUNDITIA LEGALIS.

Profluvium hoc immunditiem legalem inducebat in veteri populo, ita enim legitur *Levit. cap.* 15. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis (menstrui) separabitur septem diebus: omnis nempe adultus, qui eam tetigerit, immundus erit usque ad vesperam. Immò qui vel vas, supra quod sederat tetigisset, habebatur immundus. Qui cum ea coiverit, nempe clam, resque lateat; immundus erit septem diebus, nam si convincatur, cùm menstruata coivisse, unà cum fœmina occidebantur, ut præcipit *Levit. cap. 20. v.* 18. idque ob prævari-
C cationem legis istius positivæ, & cæremonialis, neque enim ex solo juræ naturæ tam grave est congredi cum menstruata, ut docet *Navarr. in manuali. cap. 26. num.* 32.

* Mensura.

Definitio, & Etymologia.

Mensura est instrumentum, quo rem quampiam metimur, ejusque quantitatem deprehendimus. Adhibetur etiam ad omnia ea, quæ mole aliqua constant, sic ut mensuræ etiam humanorum corporum meminerit *Solinis cap.* 5. Hinc mensores dicimus, qui agris terminos definiunt. Atque hoc nomine etiam vocabatur *inquit Varro lib. 2. cap.* 7. qui ad podismum, id est, dimensione pedibus facta; loca in castris demetiebantur, in quibus, aut tentoria figebantur, aut in civitatibus hospitia præstabantur.

Quis inveneritⁿ?

Pete ex Loco de Inventione Tit. Rerum Naturalium.

§. Mensurarum.

MENSURARUM USUS VARIUS, IDQUE

D Juxta eorum, quæ metimur, vel mensuramus, subsantiam & qualitatem, ut puta agrorum, itinerum, quorum vis utensilium, liquidorum, fructuum, granorum. Habent autem singulæ sua nomina, quibus distinguantur: quamvis quædam generalia, & communia sint pluribus Nationibus. Nos autem præsenti loco Synopsin trademus mensurarum, quas adhibuerunt Hebræi, Græci, Romani, & Hispani vet. juxta ea, quæ de iisdem collegit Robertus Cenalus, Rodolph. Agricola, Alciatus, ac novissimè omnium Vilalpandus, & Alcazarius.

AC PRIMUM DE MENSURIS, SEU VASIS.

Mensuræ omnes æstimandæ sunt secundùm capacitatem aquæ, quam capere possunt: unde quoad capacitatem semper sunt æquales, sed pro ratione materiæ inæqualis sunt ponderis. Verbi gratia, sextarius est vas, sive scyphus magnus, qui continet 20. uncias aquæ, vini, vel aceti (horum enim æquale est pondus) sed si idem sextarius impleatur auro, continebit tantundem quoad ambitum, & capacitatem, sed quoad pondus longè amplius: quia auri pondus se habet ad pondus aquæ, sicut se habet 18. $\frac{2}{3}$ ad unum, vel ut se habent 2775. ad 148. Quare cùm sextarius aquæ contineat 20. uncias, E
sequitur per regulam trium, quòd sextarius auri contineat uncias 375. si enim 148. dant 20. ergo 2775. dant 375.

Sextarius ergo Romanus aquæ, vini, & aceti, ponderat 20. uncias, sextarius olei, 18. uncias, sextarius frumenti romani, sive nostratis, 15. uncias, sextarius farinæ ejusdem ponderat 8. vel 9. uncias (frumentum enim densius, & ponderosius est farina) sextarius mellis ponderat 30. uncias, sextarius auri ponderat uncias 375. sextarius plumbi ponderat uncias 233. sextarius argenti ponderat uncias 208. sextarius cupri ponderat uncias 182. sextarius ferri ponderat uncias 161. sextarius stanni ponderat uncias 150.

Hinc facile est colligere, quæ sit proportio ponderis inter metalla, quodque aurum omnibus, etiam plumbo, sit ponderosius: licèt contrarium putarit *Plinius lib. 33 cap.* 3. sed falsò, æquali ergo quantitate, si oleum ponderat 9. uncias;

aqua pendet.	10. uncias.
mel	15. uncias.
stannum,	75. unc.
ferrum	80 $\frac{1}{15}$ unc.
æs cupreum	91. unc. F
argentum	104 unc.
plumbum	116 $\frac{1}{3}$ unc.
argentum vivum	150. unc.
aurum.	188 $\frac{1}{3}$ unc.

Rursum frumentum Palæstinæ densius, & ponderosius est, quàm sit Romanum, & nostrum. Sextarius ergo frumenti Palæstinæ pendet 20. uncias, romani verò 15. uncias.

Rursum triticum ponderosius est hordeo, sextarius enim hordei romani pendet uncias 12. tritici verò 15.

Amphora dicta est, quòd duas haberet ansas, quibus utrimque ferebatur, ab ἀμφὶ καὶ φέρω. Amphora capiebat congios octo, id est, sextarios 48. alio nomine Quadrantal diebatur, à mensura ejus figura, quæ omni ex parte pedem romanum habebat quadratum. Si enim vas facias, quod tam in longitudine, quàm latitudine, & altitudine, sive profunditate, habeat pedem romanum, erit quadrantal, sive amphora. Amphora ergo erat quadratura pedis romani, continens 80. libras aquæ, vel vini, (frumenti verò nostratis 60.) id est, uncias aquæ 960. Loquor de amphora romana: nam attica fuit major tertia parte; continebat enim tres urnas, ait Fannius, G
id est 120. uncias aquæ.

Amphoram Romani diviserunt in duas urnas, uti geometricè, & pulchrè *Vilalpando pag.* 435. Urnam deinde diviserunt in quatuor congios; ita ut Urna sit amphoræ dimidium, continens sextarios 24. congius, qui & chus dicitur, sit octava pars amphoræ. *Congii formam vide apud Vilalpando pag.* 50.

Congius ergo est quarta pars urnæ, continens sextarios 6 fogliettas 7. hoc est libras aquæ 10. frumenti nostratis septem cum dimidia. A congio Novellius Torquatus dictus est *Tricongius*, quòd unico hastu coram Tiberio Cæsare tres vini congios exausisset, teste *Plin. lib.* 14. 22.

Ex 20. amphoris fit Culeus, quæ maxima erat Romanorum mensura, continens sextarios 960. libras aquæ, vel vini 1600. sed in frumento nostrate continet libras 1200.

Ex duabus amphoris fit medimnus. Medimnus ergo continet. 6. modios: una enim amphora continet tres modios. Est ergo medimnus decima pas culei, atque in aqua, & vino continet 160. libras, in frumento verò nostrate 120.

Modius Romanorum propria mensura, & vox est, est enim modius quasi modus, quo frumenta dispensantur. Epiph. tamen docet, Romanos modii nomen, & mensuram ab Hebræis accepisse. מדד *madad* enim significat mensurare: in- H
de מדה *midda*, est mensura, modius. Modius est tertia pars amphoræ, continet sedecim sextarios, heminas 32. puta 26. libras aquæ, vel vini, frumenti verò nostratis 20. libras: estque sexta pars sanecæ hispanicæ.

Chœnix continebat 4. sextarios, eratque modii quarta pars amphoræ duodecima, chœnix erat diurnus hominis cibus.

Sextarius romanus erat sexta congii pars, indeque dictus est sextarius, ait Fannius.

Sextario tam arida, quàm liquida metiebantur. Sextarius romanus continet uncias 20. erat ergo sextarius instar magni scyphi, eratque quarta pars chœnicis.

Hemina, vel cotyla erat dimidium sextarii: quartarius erat sextarii quarta pars: acetabulum octava: cyathus duodecima.

Sextans sunt duo cyathi, quadrans tres, triens quatuor cyathi.

Sextarium romanum cum attico, & Hæbræo æqualem fuisse, con-

se, contendit Vilalpando. Sed clarè demonstrat Alcazar, eo
A fuisse diversos; ac Romanorum continuisse uncias 20. attic um 14. hebræum, 13. ita ex Mariana ipse propos 5. & seq. idque mox clarius patebit.

Corus hebr. dicitur חמר *homor*, quasi חמר *chamor*, id est acervus, vel cumulus frumenti: inde quoque asinus dictus est חמר *chamor*, eò quòd hunc acervum bajulet, est enim *homor* quasi asinarium onus: hinc asinus *Matth.* 11. vocatur ὑποζύγιον, huc etiam alludunt hebræa *Judic.* 15. 16.

Vilalpando coro tribuit græcas metretas 10. hebræa ephi, 10. fata 30. medimnos 7. cum dimidio, artabas 6. amphoras romanas 15. modios romanos 45. id est aquæ: vel vini libras 1200. uncias 14400. Verùm melius Alcazar coro tribuit tantum libras aquæ 800. uncias 9600. modios rom. 30. id mox clarius patebit ex bato sive ephi.

Mensæ Salomonis quotidie ministrabantur 30. cori similæ, & 20. farinæ, unde fiebat 24. millia, & rursum sedecim millia, id est universim, quadraginta millia librarum panis. Corus continet 5. medimnos Atticos, sive 5. faneças Hisp. hi enim continent 30. modios.

Lethec est dimidia pars cori, hoc est duæ feræ fanecæ cum dimidia, sonatque lethec elevationem: est enim onus, quod
B vegetus adolescens asino potest imponere.

Ephi, vel Epha, Batus, & metreta æqualia sunt, suntque decima pars cori. *Ezech.* 41. 11. Ephi continet tria sata: satum continet 24. longim, id est, sextarios: ergo ephi continet sextarios 72. Hydriæ ergo singulæ in Cana Galilææ, capientes metretas binas, capiebant sextarios, sive scyphos magnos 144.

Batus erat duplex, inquit Vilalpando: major, continens metretam cum dimidia, id est 180. sextarios: minor continens metretam, id est 72. sextarios. Sic enim conciliandus est, inquit, locus 3. *Reg.* 7. 16. ubi dicitur, quòd mare æneum, quod fecit Salomon, continebat duo millia batos, cùm 2. *Par.* 45. ubi dicitur, quòd idem mare capiebat tria millia metretas, vel ut Hebr. est, batos, quia scilicet batus major continebat metretam, sive batum minorem unum cum dimidio: duo ergo millia batorum majorem faciebant tria millia metretarum, sive batorum minorum, ita Vilalpando. Verùm Alcazar lib. de mensur. propos. 14. ostendit, hosbatos non fuisse communes, sed extraordinarios, & minores, adeòque fuisse tantùm decimam partem bati:
C eosque fuisse duplices, ita scilicet, ut esset unus sesquialter alterius.

Dico ergo cum Alcazaro: communis batus, ephi, & metreta æqualia sunt inter se, & cum amphora Romana, continentque sextarios Roman. 48. id est, atque uncias 960. hinc ephi continebat tres modios, *Ruth.* 2. 17. sicut homer continens decem ephi, continebat 30. modios; modios utique vulgares Latinis, puta romanos: modius autem romanus continebat aquæ uncias 320. uti omnes consentiunt: ergo ephi continens tres modios, continebat uncias 960. Id pluribus, & solidè demonstrat *ex S. Hieronym. Epiphan. & aliis*, Alcazar *supra*: cui consentit Mariana, immò S. Hieron. & Epiphan. qui asserit eorum idem esse, quod 30. modii romani, & tam nomen, quàm mensuram modii, Romanos fuisse ab Hebræis mutuatos.

Quare, cùm Josephus, & alii dicant, batum, sive ephi continuisse 72. sextarios hebraicos: hinc sequitur, sextarium hebræum sive log, uncias continuisse, non 20. uti continebat sestarius romanus, sed tantùm 13 $\frac{1}{3}$ si enim 13 $\frac{1}{3}$ multiplices per 72. sextarios invenies præcisè 960. uncias, quot continet batus, seu
D ephi. ita Mariana, & Alcazar.

Consequenter, cum decima pars bati, vel ephi sit gomor, sive assaron; sequitur, gomor, sive assaronem continuisse uncias non 144. ut vult Vilalpando, nec 63. ut vult Ribera: sed 96. hoc est 8. libras 12. unciarum: divide enim ephi, continens uncias 960. per decem, habebis 96.

Hinc facilè est concipere, quomodo ex manna Hebræi quotidie gomor comederint: hoc enim cùm esset levius frumento, non 96. uncias, sed multò minus, puta 50. circiter uncias tantùm ponderabat. Rursum, quomodo parva mensa potuerit capere panes propositionis, quorum singuli constabant duobus gomor, sive duobus assaronibus. Licet enim hi pleni frumento Palæstino appenderent sedecim libras, puta 186. uncias, tamen in farina, vel simila, ob ejus raritatem, & levitatem, tantùm appendebant tredecim libras cum dimidia.

Hinc rursum deducitur, quæ fuerit mensura hin. Hin enim continebat 12. sextarios, sextarius autem hebraicus continebat uncias 13 $\frac{1}{3}$ multiplica ergo 13 $\frac{1}{3}$ per 12. habebis 160. uncias, id est 13. libras $\frac{1}{3}$ tot ergo continebat hin, eratque æqua- E
le semimodio Romano. ita Alcazar, aptius quam Vilalpando, qui hini dat sextarios Romanos 12. id est uncias 240. Putat enim ipse sextarium hebræum fuisse æqualem Romano; sed id bene refutat Alcazar.

Quarta pars hin, erant tres sextarii hebræi, id est unciæ aquæ, vel vini 40. id est libræ tres, & 4. unciæ.

Satum est tertia pars ephi, continetque modium romanum: Satum ergo, & modius æqualia sunt, perinde ac metreta, & ephi. ita Alcazar, Alii sato tribuunt sesquimodium.

Artaba ægyptia continet tres modios Romanos cum triente inquit Vilalpando. Verùm Alcazar, & alii, artabæ dant modios quinque.

Cabus, sive chœnix Hebræorum, est mensura victus diurni, continens quatuor sextarios, id est sex libras $\frac{1}{3}$ ita Vilalpando: quia putat sextarium hebræum fuisse æqualem Romano. Verùm melius Alcazar; sit sextario hebræo tantùm tribuit uncias tredecim cum $\frac{1}{3}$ ita consequenter cabo hebræo, continenti quatuor login, sive sextarios, tribuit uncias aquæ 53 $\frac{1}{3}$ erat enim cabus duodecima pars ephi, sive bati, & amphoræ; F
sati verò quarta.

Log est sextarius hebræus; puta 13. unciæ cum $\frac{1}{3}$

Cadus est hydria: an mensuræ sit genus, & cujus capacitatis, ex Scriptura colligi non potest, ait Vilalpando: licèt Cenalis, & Fannius putent, amphoram, præsertim atticam, subinde dici cadum à continendo: & sic cadus continebit 12. congios, id est 72. sextarios.

Abora, sive cantharus hispan. constat octo boccalibus italicis, libris 42. & octo unciis, puta unciis 512. estque quarta pars fanecæ.

Boccale italicum, & hispan. Ac, umbre continet quatuor fogliettas, puta quinque libras, & quatuor uncias, id est universim 64. uncias.

Foglietta continet sedecim uncias, tantundem continet Quartilio.

Baril constat boccalibus 32. libris 170. $\frac{2}{3}$ unciis 2048.

Botta Romana continet octo barilas, boccales 256.

Faneca, seu Quintal continet centum libras hispan. id est libras communes, 12. unciarum, 168.

* Synopsis mensurarum, si aqua vel vino impleantur, quantum ponderent. Q

Ex Corn. à Lapide in Pentateuchum.

Culeus continet aquæ, vel vini talenta 12 $\frac{2}{3}$ libras 1608. uncias 19200.

Botta romana continet talenta 10 $\frac{4}{27}$ libras $\frac{1}{3}$ uncias 16384.

Corus continet libras 800. uncias 9600.

Rublum hispan. talenta $6\frac{2}{3}$ libras 830. Uncias 9840.

Faneca hisp. tal. 1 $\frac{2}{27}$ libras 168. unc. 1016.

Fanecæ quarta pars est Arova, continet libras 42 $\frac{2}{3}$ uncias 512.

Medimnus tal. $\frac{2}{3}$ libras 160. uncias 1920.

Ephi, Batus, & Metreta libras 80. uncias 960.

Pescubicus Romanorum libras 90 $\frac{2}{3}$ $\frac{6}{9}$ uncias 1085 $\frac{4}{9}$.

Amphora, sive pes cubicus Romanorum libras 80. uncias 960.

Sarum libras 26 $\frac{2}{3}$ uncias 320.

Palmus cubicus rom. libras 37 $\frac{2}{3}$ $\frac{2}{27}$ uncias 447 $\frac{2}{27}$.

Scortium libras 32. uncias 386. H

Modius rom libras 26 $\frac{2}{3}$ uncias 320.

Hin libras 13. $\frac{1}{3}$ uncias 160.

Celemin hisp. libras 14. uncias 168.

Gomor, sive Assaro libras 8. uncias 96.

Congius, sive chus libras 10. uncias 120.

Coenix libras 6 $\frac{2}{3}$ uncias 80.

Cabus, sive palmus cubicus hebr. libras 4 $\frac{4}{27}$ uncias 53 $\frac{1}{3}$

Bocal rom. libras 5 $\frac{1}{3}$ uncias 64.

Log sive sextarius libras $\frac{5}{27}$ uncias 13 $\frac{1}{3}$

Fuglietta rom. libras 1 $\frac{1}{3}$ uncias 16.

Cotyle, & hemina uncias 10.

Acetabulum uncias 2 $\frac{1}{3}$

Cyatus unciam 1 $\frac{4}{9}$

Digitus cubicus unciam 1 $\frac{2}{27}$

III. De mensuræ longitudine,

Calamus continet sex cubitos.

Cubitus

Cubitus est sesquipes, quæ à flexu brachii porrigitur usque ad extremum digiti, qui index vocatur, continetque 24. digitos, sive duas spithamas, est que quarta pars staturæ hominis, quisque enim homo ritè formatus, habet in statura quatuor sui cubitos, adeòque tantus est, quanta est expansio brachiorum ejus: brachia enim complicata in cubito, seque in digito indice contingentia, faciunt quatuor cubitos, quæ est statura cujusque. Consequenter, cùm cubitus sit sesquipes, sequitur, quemque hominem, uti sui cubitos habet quatuor, ita & sui pedes habere sex in statura.

Ita S. Hieron. Vitruvius, & passim alii: unus *Alcacar. prop. 9.* multis probare contendit, cubitum in S. Scriptura non esse quartam, sed sextam partem humanæ staturæ: quia censet cubiti nomine non comprehendi manum, sed tantùm os illud, præcipuum, ab ima manu ad brachii usque curvaturam extensum. Additque sex tales cubitos facere calamum, indeque calamum vocari mensuram hominis, id est staturæ humanæ, *Apocal.* 21. 17. Rursum, hunc cubitum esse duplicem; primum esse antiquum Adami, & primorum illorum magnorum hominum, qui continent digitos Romanos $18\frac{1}{7}$ sitque penè æqualis pedi Romano: hic enim sedecim præcisè digitos continet. Secundum esse posteriorem, & minorem, qui constet Romanis pedibus $14\frac{2}{7}$, atque hoc minore S. Scripturam mensurare lateres, & mare æneum. Verùm à communi aliorum omnium sententia recedendum non esse, censeo.

Palmus, hebr. טפח *topach*, est spatium 4. digitorum transversim positorum.

Tres palmi complent palmum extensum, qui spithama dicitur.

Spithama, hebr. זרת *zeret*, est spatium, quod distenta manu inter pollicem, & indicem interjacet, continetque 24. digitos transversos.

Passus, est spatium quinque pedum.

Dimidium passus est Gressus, qui continet duos pedes cum dimidio.

Pes Romanus continebat quatuor palmos, id est sedecim digitos romanos transversos, quantitatem ejus vide expressam apud *Alcazar. l. de mensur. pag. 8.*

Milliare à mille passibus deductum est, continet octo stadia Stadium continet 125. passus, id est pedes 750.

Mercatura. Mercator.

* Definitio, et Etymologia.

Mercatura Græce ἐμπορία, ἔμπορος, mercator, & ἐμπορεύομαι, mercor dicitur. Hebr. *Meker*, à verbo *Makar*, seu *Machar*, vendidit, inde *Marchant*, mercator, mercatura, & *Secorab*, *Sacar*. Item à verbo *Sacar*, circuivit, ut solent mercatores, & negotiatores perambulare multas regiones, mercaturæ, & lucri gratia.

Mercatura olim gloriosa fuit, cujus opere cum barbaris consuetudo, amicitiæ cum regibus conjugerentur, peritia multarum rerum pararetur: ac nonnulli mercatores civitatum magnarum conditores extiterunt: *Plut. in Solone*. Est autem triplex mercatura, scilicet, Navigatio, Devictio, id est, Fœneratio, & Negotiatio *secund. Arist. l. 1. Polit.* Negotiatio de se non vitiosa, licet habet turpitudinem: Ideò licita est, si fit ad finem honestum, vel necessarium, id est, quòd negociator lucretur, moderatè scilicet, vel ad suæ familiæ sustentationem, vel pauperum, vel communitatis, si in festo justo contractu, & non ad causam. *secund. B. Tom. q. 77. art. 4.*

Mercatura dicitur à mercor, illud verò à mereo, est enim mereri, gratia aliquid operari: unde merere, militare. *Lucanus*: Ære merent parva. Differunt autem merx, & mercatura, quod merx est species ipsa, quæ emitur, venditurve, à quo mercimonium, & commercium, quasi contractio quædam mercium, veniunt. Mercatura verò est actus ipse emendi, & vendendi merces. Mercem Varro à merendo ære dictam vult: mercis appellatio, ut vult *Ulpianus*, ad res tantùm mobiles pertinet.

Horatius lib. 1. Epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Sic, & inter Græcos Comicos reperitur hic versus:

Εἰ χρυσὸν ἐδόκει ἔμπορος φρονεῖ μόνον.
Ὧν ἔστι πάντων οὗτος ἄνευρε κύριος.

Inventores. Qui, Quales. Finis. Accidentia, &c.

☞ *Quære in locis de Commutatione, & Inventione.*

Studium, et cultus mercaturæ.

Psammetycus, primus Ægyptiorum Regum cæteras nationes ad importanda, quæ apud se erant, allexit, securitate singulis adeuntibus præbita. *Diod. l. 1. c. 5.*

Græci mercaturæ studiosi fuerunt. Propterea Cyrus Persarum Rex, cum Legati Spartanorum eum de bello Jonibus inferendo minabundi dehortarentur, dixisse fertur: Ejquibus non extimui unquam homines tales, quibus est locus in media urbe apertus, ad quem collecti, mutuis ipsi sibi juramentis imponunt. His (si modo Superi me servaverint incolumem) non locum, sed sua propria incommoda erunt defienda. Hæc in universos Græcos verba detorsit Cyrus, quia fora ampla haberent, in quibus emptione, ac venditione uterentur, cum Persæ, agrestes adhuc, & militares nullis mercenariis uterentur. *Herod. l. 1.*

Usque hodie permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor; qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt: & tantam mercandi habent vafaniam, ut occupato nunc orbe Romano, inter gladios, & miserorum neces quærant, divitias, & paupertatem periculis fugiant. *Hieronym. l. 8. in Ezechielis c. 27.*

Augusto Cæsari fortè Puteolanum sinum prætervehenti victores, nautæque de navi Alexandrina, quæ tunc quidem appulerat, candidati, coronatique: & thura libantes, fausta omnia, & eximias laudes congesserunt. Per illum se vivere, per illum navigare, libertate, atque fortunis per illum frui. Quare admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus divisit: jusque jurandum, & cautionem exegit à singulis, non aliò datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. *Suet.*

Anno 1336. Anglis placuit providere, ne opes, quæ mercium usu in dies singulos in insulam inferebantur, aliquando dissiparentur. Itaque lege exceptum est, sub Edovardo III. ut nemini, neque Anglo, neque homini externo, liceret in posterum tempus, aurum, argentum cælatum, sive signatum, de regno in continentem exportare. Quo factum est, ut mercatores extranei mercium suarum precia coacti sint in alias merces insumere. Decretum istud etiam nunc servatur, perpetuam uti regno utile ab aliis, qui secuti, sunt, Regibus. *Polyd. l. 19.*

Henricus VII. Anglorum Rex, regnum rebus omnibus longè locupletissimum reliquit, quod planum præter cætera fecit immanis auri pariter, atque argenti copia, quæ in annos singulos, in insulam importata est à mercatoribus, ultrò citròque commeantibus, quos ille sæpenumero pecunia ad tempus data gratuitò juvabat, ut mercatura, ars una omnium cunctis æque mortalibus cùm commoda, tum necessaria, in suo regno copiosior esset. *Polyd. l. 26.*

☞ *Mercatores avari, justi, divites. Pete ex Tit. Virtutum, & vitiorum eorundem.*

Odium Mercaturæ.

☞ *Require in Loco de Mechanicis Artibus. Tit. Odium, &c.*

* Merces.

Mercedis.

☞ *Persoluta pro varia opera impensa. Quære Locum de Divitiis Tit. Divitiarum acquisitio respectu formæ considerata. S. Merces datæ operæ Litterariæ, &c.*

* Mercenarii.

Qui, et Quotuplex Vocis Usurpatio.

Mercenarios substantivè vocamus generatim omnes, qui propter mercedem operam suam alicui præstant. Μισθωτοὶ Græcè. Repugnant autem, esse gratuitum, & esse mercenarium. Unde *Cicero 1. de legib.* Quid liberalitas? gratuitane est, an mercenaria? Si sine præmio, benigna est, & gratuita: Si cum mercede, conducta.

Communiter Mercenarios dicimus, qui Magistratum, vel munus aliquod deferunt, mercede ad id conductis; & habet potissimum locum in illis, qui ad regimen animarum adscisciuntur, illudque suscipiunt non propter Christum ipsum, omniumque salutem, sed propter solam mercedem, aut saltem, præcipuè propter illam.

Colligitur ex verbis Christi distinguentis inter Pastorem, & Mercenarium, hoc maximè, quod non sit pastor, nec sint oves illius propriæ, unde dum videt lupum venientem, fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. *Joan. c. 10.* Non pastor, sed mercenarius vocatus, ait *D. Gregorius Homil. 14. in Evangel.* qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Rectè *Thomas Staplet. in Prompt. Dominic. part. hyem. Domin. 2. post Pascha text. 3.* Dicit mercenarium esse instar Advocati conductitii, & avari, qui clientis causam perfunctoriè agit, quia ad eum non pertinet, sive cadat, sive obtineat. Talem describit *Ezechiel, c. 34.* Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, gregem autem non pascebatis.

Est autem duplex hujusmodi Mercenarius. Alter ex fine, & occultus: alter apertè flagitiosus. Prior est, qui spe lucri, aut honoris pascit, at sine scandalo vivit. Posterior, qui etiam conversatione sua nocet. Priores Christus describit *Joan. 10.* nempe, qui plus opes diligunt, quàm oves; & per occasionem, ut ait Paulus *Philipp. c. 1.* Christum prædicant, non propter bonam voluntatem, id est, charitate. De posterioribus loquitur *Matth. c. 14.* cum de Pharisæis dicit: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

☞ *Pleraque petantur ex Loco de Pastore.*

* Mercedem contemnere.

☞ *Vide supra Locum de Medicina.*

Quamvis natura duce cuilibet bono operi sua debeatur merces, eam tamen charitatis intuitu crebrius recusarunt in terris viri sancti, qui ampliorem, magisque securam in cœlis præparatam reperirent. Unde Hilarion, Orioni sibi dona offerenti quod dæmonum phalange cum liberasset, dicebat: Non legisti quid Giezi, quid Simon passi? cùmque Orion flens diceret: Accipe in usus pauperum, respondit: Tu id rectus præstiteris, qui urbem indies obambulas: ego qui reliqui mea, cur appetam aliena? *Ex Hieron. in vita, L. Beyerlinck in Apoph. Christ.*

Ita in Sicilia cuidam sibi auri pondus danti, quòd gravi eum morbo curasset, deprometat eam Domini sui vocem: Gratis accepistis, gratis date. *Ibid. c. 14.*

Pari constantia S. Leonardus, oblatam à Regina Galliæ mercedem, quod eam precibus difficili partu liberasset, renuit: offerentique Regi, Nequaquam, ait, illis mihi opus, nihil enim defuturum est ei, qui omnium opifici libenter servit, cùm ipsa veritas dicat, Quærite primum regnum Dei. *Ex Jacob. Januens. idem.*

S. Martinus Episcopus Leontii cujusdam familiam contagioso morbo divina adiutus ope liberarat, qui, cum pro beneficio centum argenti libras redderet, recusavit accipere, quare indignati comites. Ad quos Martinus, Nos, inquit, Ecclesia & pascat, & vestiat: dummodo nihil usibus nostris quæsisse videamur. *Sulpit. in vita.*

* Exigere, solvere.

Antisthenes interrogatus, cur tam paucos haberet discipulos, inquit; Quoniam depello illos virga argentea. Sentiens ideò paucos venire quod magna mercede doceret: vulgus autem magis amat pecuniam, quàm sapientiam, & hinc *Satyricus* exclamat:

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

Dictum Antisthenis extat apud *Laert. l. 6.*

Polemon, Zeno Citieus, ubi jam in Philosophicis aliquantum profecisset, non tamen contentus esse voluit: sed ad Polemonem, ut in Dialecticis exerceretur, commeabat. Unde Polemon dicere solitus est: Sat scio, ò Zeno, te per posticum irrepere, & furari dogmata, quibus Phœnicum more indutus est. Notavit hoc dicto Zenonem, qui furtim, & gratis à præceptore discere volebat, ut aliis postea multa mercede venderet *Laert. l. 7. c. 1.*

Isocrates sæpenumero dicere olitus est, se quidem discipulos decem docere minis, cæterum qui ipsum docuisset audaciam, & vocalitatem, mercedis loco daturum decem millia, vocis enim exilitas, animique timiditas reddebant Isocratem inutilem ad dicendum. *Erasm. Roter. l. 8. Apoph.*

* Defraudare.

Ex S. Scriptura.

Tobias docuit filium suum, dicens; si quis tibi aliquid operatus fuerit, statim reddes ei mercedem. Et merces mercenarii tui non manebit apud te usque manè. *Tobiæ c. 4.*

Sub quo crimine etiam intelligitur ille, qui minus æquo persolvit. Eque unum è peccatis, quæ in cælum clamant, id est iram, & divinam justitiam provocant.

Nam & in *Deuteronomio* legimus, Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, &c. ne clamet contra te ad Dominum, &c. *c. 24.*

Ideòque tanquam de crimine maximo se curavit purgari Job, ut cum interpretatur *Beda, & Carthusianus*; dum dixit: Si adversùm mea terra me clamat, & cum ipsa socii ejus deflent: si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum afflixi: pro frumento otiatur mihi tribulus, & pro tritico spina, *c. 31.*

Ecclesiasticus quoque, Panis egentium vita pauperum est; qui illum defraudat, homo sanguinis est, *c. 34.*

Jacobus denique *c. 5. Epist. suæ*. Ecce mercos operariorum, qui messuerunt Regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

Historica.

Conversus quidam de Cynna, quæ domus est Ordinis Cistercienfis, cum die quadam missus ab Abbate suo navigio transiret per fluvium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum exegit. Qui cum diceret, nihil se ad manum habere pecuniæ, respondit ille: Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum vestrum. Non possum, inquit, carere his, & adjecit: Ego promitto vobis cum ordine meo, quòd dimidium denarium vobis remittam, & remisit eum nauta. Recedens ab eo conversus, eò quod res modica videretur, promissum parvi pendit nihil remittens. Non multò post infirmatus, cum omnibus, qui aderant, mortuus videretur, anima egressa cùm ad requiem ascendere vellet, prædictum dimidium denarium, cujus in confessione non meminit, ante oculos habebat, qui adeò crevit, ut mundo major videretur: cùmque sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esset, quod impediret, ad Angelorum petitionem permissa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis, visionem retulit, & missus est ab Abbate nautæ integer denarius; quem ut ille recepit, eadem hora conversus exspiravit. *Ex Cæsario Heisterst. l. 11. c. 35.*

Merceorum Reges.

Vide Locum de Magistratu.

Meretrix. Scortum.

Definitio, et Etymologia.

*Meretrices vocantur Mulieres quarum turpitudo est venalis. Dictæ sunt à merendo inquit Valla, quod corporis usu mercedem, quæstumve faciant. Hinc *Ovidius*:

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et meritas jusso corpore quærit opes.

Meretrices, Scorta publica.

Meretrices olim in via publica sedebant. Id quod ex historia Thamar intelligi potest. *Gen. 38.*

Rachab meretrix Hierichuntina, ad quam duo exploratores à Josue in Chananæam terram missi diverterunt: quosque cum ab oppidanis quærerentur, sub recto, sub lini fasciculis occultavit, & per fenestram fune demissos, incolumes dimisit, *Josue c. 2.*

Dalila meretrix plurimùm à Sampsone Judice Israelitarum adamata, ejus necis causa fuit, cùm crinem fatalem, in quo robur omne continebat, abrasisset. *Judicum 16.*

Gomer Debelaim F. meretrix, quam Domini jussu Oseas Propheta uxorem duxit, filios ex ea geniturus meretricios, ut hac ratione populi Israelitici idololatriam reprehenderet. *Oseæ 1.*

Maria Magdalena, Syri, & Euchariæ filia, Lazarique, & Marthæ soror, aliquot annis voluptatibus indulsit, adeò ut Peccatricis meruerit nomen. Ast ubi ad Christi, in Simonis Leprosi domo recumbentis, pedes se provolvisse, fusque rigasset lacrymis, capillis abstersisset, & unguento unxisset, veniam impetravit. *Revistus.*

Sirenes tres, partim virgines, partim volucres, Acheloi fluvii, & Calliopes Musæ filiæ decantantur. Harum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat: & primò juxta Pelorum, post in Capreis insula habitaverunt, quò illectos suo cantu in naufragia deducebant. Revera meretrices fuerunt, teste *Palæphato l. 1. Incredibilium*: quæ quoniam transeuntes deducebant ad egestatem, illis dictæ sunt inferre naufragia. Has quidam Pisinoen, Aglaopen, vel Aglaophemen, & Ehelxiopiam; alii Molpen, Aglaophonen, & Thelxiopen, vel Thelxinoen: nonnulli Ligian, Parthenopen, & Leucosiam, aut Meloesiam appellant. De iis *Strabo lib. 1. Plin. lib. 10. cap. 49. & Cælius l. 14. c. 14. A. L.* Sirenes dictæ, quasi Catenæ, quia allectos vinctrent amore. *Nat. Comes Mythol. l. 7. c. 13.*

Zetes